

ELVERT, E. G.

lvert



Rieger was
friend
& contemporary
at Carlsschule
of Schiller
grad the same year

DISSERTATIO MEDICO-DIÆTETICA

# DE VITÆ RATIONE HOMINIS NATURÆ CONVENIENTISSIMA

GENERALIA QUÆDAM EXHIBENS.

QUAM

ANNUENTE

ACADEMIÆ MILITARIS

*STATORE AC PROTECTORE SUMMO,*

*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO*

DUCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE REL. REL.

*D. III. DECEMB. MDCCLXXIX.*

PUBLICO MEDICORUM SCRUTINIO EXPONIT

AUCTOR

EMANUEL GOTTLIEB ELVERT, CANSTADIENSIS,

DUCALIS ACADEMIÆ MILITARIS ALUMNUS.

STUTTGARDIÆ,

IMPRIMEBAT COTTA, TYPOGRAPHUS AUL. ET CANCELL.

Cavendum, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.

CELSUS, *de Medicina*, Lib. I. Cap. I.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

# DOMINO
# CAROLO,

DUCI WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTI,
COMITI IN MOEMPELGART,
DYNASTÆ IN HAIDENHEIM ET JUSTINGEN,
REL. REL. REL.

DOMINO, NUTRITIO, EDUCATORI
SUO LONGE CLEMENTISSIMO, BENIGNISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
SUBMISSISSIME OFFERT

Auctor.

# SERENISSIME DUX,

*Dux, Domine ac Pater Clementisſime,*



Vel paternus meus jam avus, dum peregrinus noſtram patriam intraret, & præſidium & munera ſub almo *Wirtembergico* imperio invenit, poliatriam Vayhingenſem nactus; nec maternus meus avus, Phyſicus demum Canſtadienſis, habuit, quod, dum relicto, quo in Hungaria fruebatur, lucroſo magnæ artis exercitio, patrios repetiiſſet lares, mutatæ eum ſortis pœniteret.

TUA autem, *Princeps Gratiosissime*, & in Patrem meum & in me collata, pro summa, quæ in TE est munificentia, beneficia multo fortius gratissimum meum animum feriunt, quam malediserta lingua edisserere posset. Et Patrem meum, non satis habens, quod ei, Poliatro olim Canstadiensi, officium Medici Aulici dudum demandasses, & per se, & ob summam potissimum qua conferre dignatus es, Clementiam æque ac Fiduciam honorificentissimum, Archiatrali insuper dignitate ornasti; & in me educando, in me ab adolescentia inde instituendo animum TUUM plus quam Paternum luculentissime exhibuisti.

Commodorum, quibus fruuntur Academiæ TUÆ militaris Alumni, & redundantium inde quaquaversus emolumentorum magnitudinem, ne, dum verissima dicam, Panegyrici nomine suspectus videar, admirabundis Exteris ac Posteritatis annalibus deprædicandam relinquo. Sed affectum TUUM plus quam Paternum, cujus tam copiosa, tam evidentia inde a sexennio

nio documenta expertus ſum, ſolicitam illam TUAM ac ſolertiſſimam Vigilantiam, qua omnes mihi opportunitates largiri annitebaris, ut cum ſucceſſu in eo ſtudiorum genere, ad quod invincibilis ac perpetua me propenſio appellebat, verſari, ut cum fructu illud abſolvere poſſem, gratiſſimo ſentire animo, & publico hic teſtimonio eo, quo par, quo ſolenne mihi eſt, obſervantiæ cultu effari, meum eſto!

Me igitur & meos TIBI debeo, *Domine Gratioſisſime;* & ſi quid per labores meos, per ſtudium illud profeci, quo ſemper intendi, ne irritos faciam ſummæ TUÆ ſolicitudinis conatus, TUUM eſt. Hinc TIBI, dum vita mihi ſupererit, dicabitur omnis laborum meorum fructus; hinc credo, nec dedignaturum TE fore, quod has induſtriæ juvenilis primitias TUO Nomini ſacras velim; hinc ſpero, fore ut propitio tantisper oculo eas intuearis, dum largior mihi copia fiat, reſpondendi ſummo illi meo ſtudio, quo allaboro, ut TUA non prorſus indignum me geram exſpectatione, ut TIBI demum, *Domine*

*Gra-*

*Gratiosisſime*, ut meæ, cui me educaſti, Patriæ non evadam inutilis. Ego vero, dum vivo, non deſinam piis & ardentibus apud Deum precibus TUAM incolumitatem, felicitatem efflagitare, eroque ad extremum usque halitum

# SERENISSIME DUX,

*Domine ac Pater Clementisſime,*

TUUS

humillimus & devotiſſimus Alumnus

Emanuel Gottlieb Elvert.

# CONSPECTUS.





A Quæ



Quæ ego momenta ad Diæteticen traham, præmiſſus docet conſpectus, nec quo id jure agam, multa indigebit explicatione. Licet enim vulgi forſan præjudicium non expectet a Diætetico, niſi cibi & potus moderamen, in aprico tamen eſt, eodem, quo hæc, jure, omnia ad Diæteticen trahi poſſe, quorum juſtus uſus corpus ſanum ſervare poteſt, abuſus lædere. Quod autem ſupra adducta ejusmodi ſint, partim ex ipſa rei natura, partim luculentius ex ſequentibus patet. Sed cum eorundem juſtus uſus, quæ ſanum corpus in incolumitate ſua ſervant, & ægrotans a novorum morborum acceſſione, priſtinive augmentis tutum præſtare poſſit, patet quam propinqua intercedat inter ſanorum & ægrotantium Diæteticen cognatio. Cum vero tanta ſit, & inexhauſta fere materiei meæ penus, ſatis illi feciſſe opinabor, ſi circa omnia, quæ indigitavi objecta, generaliora carpam momenta, ſub quibus quævis ſpecialia juſto ordine digeri, licet non expreſſa queant, vel, ut uno verbo dicam, (niſi quidem id unum verbum pro juvenilium virium tentamine qualicunque arrogantius poſitum videatur) ad *Philoſophiam* potius *Diætetices*, quam *ipſam Diæteticen* ſcribendam me accingo. Sed ne intempeſtiva mihi in limine mora ſit, ſtatim ago

# Cap. I.

## DE CIBO ET POTU.



### §. I.

*Ciborum Selectus.*

Et quod corpus humanum nutritione egeat, & cur egeat, ſatis docent phyſiologica principia, quæ huc trahere, nimis ſane anfractuoſum eſſet; quali autem egeat, nunc diſpiciendum.

Per rationis ambages homini veniendum eſt ad ciborum ſelectum, quem inſtinctui reliquit natura in brutis: horum quidem alia carnivora, alia granivora, alia herbivora ſunt, & ſedulus naturæ obſervator in quovis horum genere ea inſtrumenta manducationis, ea digeſtionis deprehendet, quæ ſufficiant ſubigendo illi ciborum generi, ad quod ſeligendum Natura impulit. Hominis autem inſtrumenta maſticationis, digeſtionis, cum variis animalium inſtrumentis comparata facile nobis monſtrabunt, non uni eum ciborum generi adſtringendum eſſe. Habet communia cum herbivoris, habet cum carnivoris animalibus. Dentes homini dati ſunt, ea ſubſtantia facti, tanta firmitate infixi, relicta ſimul tanta motus libertate, tam diverſæ figuræ & ſpeciei, ut & diſcerpendis tenacibus animalium fibris, & minutim concidendis, ac in pultem redigendis innumeris ratione duritiei, tenacitatis &c. diverſis cibis ſint aptiſſimi. Ventriculi fabrica & coeco inteſtino homo cum carnivoris animalibus convenit, reliquo inteſtinorum tractu cum herbivoris. Menſtrua in primo ciborum ad

ad primas vias commeatu admiſta paria ſunt reſolvendis, ſaponum more, & terreis & glutinoſis & ſalinis, appropriandis aqueis cum oleoſis, & quis ſexcentas enumeret virtutes, diverſis hominis menſtruis animalibus, tam mire fabrefactæ ſolidorum ſtructuræ inditas! Quid quæſo aliud per hoc indigitatum voluit natura, niſi nec vegetabilem nec animalem, nec generatim ullum victus genus ab hominis nutritione alienum eſſe, qui vel tenacibus vel terreis vel glutinoſis partibus abundet, cum his omnibus ſubigendis ipſa ſit idonea!

Simile experientiæ effatum. Videbis homines, ſub diverſiſſimis climatibus degentes diverſiſſimis cibis cum euphoria frui, videbis & caſu & per guſtus picas, ne dicam deliria, ad tam variam alimentorum copiam perveniſſe, quam varia eſt natura. Sed eadem nos docebit experientia, nec convenire homini ſelectos ex unico genere cibos. Dantur quidem populi, quorum vel ex una edulium claſſe conſtat victus ſimpliciſſimus, ſed hi non magis generaliorem turbant obſervationem, quam exceptio regulam. Interim vel ferociſſimæ Americæ gentes duplex obſervantur habere victus genus, alterum ex piſcatione vel venatione, prout natura opportunitatem ſuppeditat, alterum ex confecto ex herbaceis pani analogo, vel qui hoc ſubſidium non habent, ſubſtituunt fermentitium ex Cerealibus potum, ſic ut nec hi naturæ finem fallant in conjungendo ex utroque & vegetabili & animali regno victu. Sic autem conjungendus erit, ut neuter modum excedat. Qui enim animali nimis victui indulgent, elaboratiſſimum quidem nanciſcuntur nutrimentum, ſed nimis nutriuntur, ſanguine replentur nimio, ut cum HALLERO (a) loquar, nimis putreſcibili, & ad ferocitatem animalium carnivororum accedunt, & ſcorbuto patent, & reliquis putridæ



(a) Primæ Lineæ Phyſiologiæ. Cap. 19.

tridæ prosapiæ morbis. Qui vegetabilibus nimis insistunt, nimiæ simplicitatis pœnam languore solvunt & Diarrhoëis exercentur, variisque bilis vappidæ sequelis.

Universim igitur patent eligendorum ciborum genera, sed quæ tum ex Vegetabilibus, tum ex animalibus eorumque productis cuivis individuo conveniant, specialiori pervestigatione indigeret. Non quemvis animalem victum eundem in corpore effectum producere, ex ipsa Animalium diversitate sequitur. Quodvis clima alia animalia producit, ex quibus gustus incolarum edulia sibi seligit. Quivis fere populus alia animalia fastidit, alia in deliciis habet; nos nec equinis Tartarorum, nec caninis (b) vel rhinoceroticis (c) aliorum epulis interesse cupimus, sed hic illimitata fere consuetudinis tyrannis in conspectum venit. In constitutivis & nutrientibus proprie partibus, quævis animalium genera conveniunt, sed alia ob ingratum saporem fastidiuntur, alia ob nimiam fibrarum rigiditatem & tenacitatem nimis stomachum exercerent, ideoque mensis exulant. Sed inter edulium consuetorum animalium genera, optima fere sunt mediæ ætatis animalia, cum elaboratos magis, quam juniora succos contineant, nec molestias pariant a nimis rigidis adultorum fibris oriundas. Ferina animalia sanorum victui aptiora sunt, cum libere mota & iis pasta, ad quæ naturæ instinctus appulit, paria sint laudabilioribus succis elaborandis, quam domestica hominis tyrannidi adstricta, & fœdis sæpe ad putredinem inclinantibus pabulis pasta. Ferina alcalino magis abundant principio,

(b) Guineæ & Senegal incolæ canibus delectantur, hos pinguefactos in forum pecuarium Chinenses ducunt. CRANZ *Mat. Med.*

(c) Africæ & Asiæ multis populis coriacea Rhinocerotis cutis cibus. *Idem.*

pio, quod varia commoda in his gignere poteſt, varia in aliis incommoda. His autem & fibrarum robur augetur, hinc major quædam durities inducitur, ut ſic male valentem ventriculum magis, quam domeſtica, exerceant. Aves eum virium digeſtricium apparatum non habent, nec ea pabula, quæ quadrupedia, & molliorem cæteris paribus victum præbent, ſed minus nutrientem.

Animalium producta easdem laudes, eadem vituperia ac ipſa animalia merentur, ſed vario gradu, quo nempe magis vel minus ab ipſa animalium fabrica, ab eorundem chyli natura remota ſint. Subjungendum hic, ex eo genere vel gentes vel ſingulos cibos eligere, qui unico genere fruuntur, & maxime quidem impune, cum intermediæ quaſi naturæ inter animalem victum ſint & vegetabilem.

Nec facta eſſe Vegetabilia, ut ſola hominem nutriant, (licet primis mundi incunabulis, & paſſim in ſimpliciori victui ſtudentibus utcunque ſufficientia videantur) cum gelatinoſum in iis principium exulet, ad nutriendum proprie hominem faciens, cum abſit ſuccorum animalitas, cujus forſan primarium ad rite ſubigendos cibos eſt momentum; nec viciſſim ob cauſas ſupra dictas carere illis hominem poſſe, patet. Cæterum major eſt in Vegetabilibus edulibus, quam in animalibus varietas, quorum in ſelectu conſuetudo & guſtus cum euphoria arbitri ſunto. Sunt quidem plura per ſe noxia, a quorum eſu guſtus naturalis abhorrere perhibetur, præmonet ſæpe olfactus; ſunt alia, quæ huic infeſta illi amica ſunt, ſunt blanda, ſunt acria, ſunt analeptica, ſunt aromatica, ſunt calida, ſunt refrigerantia Vegetabilia, quorum omnium uſus nec ſemper nocet, nec non interruptus prodeſſet. Sed proprie ex vegetabili regno farina nutrit, ideoque ad victum ea eligenda, quæ hoc principio maxime abundant, nec ob alias qualitates infeſtant. Mucilaginoſa

ſucce-

ſuccedaneum quaſi ſaltem nutrimentum præbent, & terrea non nutriunt, niſi quatenus cum farinaceis aut mucilaginoſis ſunt conjuncta.

Patet igitur, non abſolute de quovis alimento prædicari poſſe, an noxium ſit, an idoneum. Varietatem ſuadent conſuetudo & euphoria. Sed & diverſarum ætatum homines diverſa requirunt alimenta, nec infantes & puſiones talis conſiſtentiæ cibos ferent, quales Adulti, nec ſubigendo nimis animali victui habebunt idoneum ſatis virium digeſtricium apparatum. Hyems vegetabilium iners largiorem requirit victum animalem, ſed fert quoque corpus minus elanguidum. Æſtas analeptica requirit, tum temporis per fati bonitatem abundantia. Qui vitæ genus exercent motibus faciundis opportunum & difficiliorem digeſtu & magis fetum nutrientibus partibus victum ferent.

Conſuetudo cæterum amiciſſima corpori reddit, quæ initio erant maxime inimica, & infeſtat vel minima declinatio ab ordinario conſuetudinis tramite per ſuam naturam inſontiſſima. Quare ſani & prudentis eſt, nulli ciborum generi nimis inhærere, ne, dum frui eo non poſſit, incommodum patiatur, nec aliud nimis effugere, ne pariter, dum evitare neſciat, lædatur. Ne aſſueſcat cibis aliorum climatum, proprium enim clima producta ſuis incolis convenientiſſima largitur; nolit medicatis cibis frui, nam iis aſſuetus neceſſitatem ſibi imponet naturæ contrariam. Generatim hic verum eſt illud CELSI, (d) nullis ſe obligare legibus debet, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, i. e. ea pars hominum, quibus labor indefeſſus & vitæ ſimplicitas ut plurimum eximium virium digeſtricium robur conciliavit.

§. 2.

(d) De Medic. Lib. I. Cap. I.

§. 2.

*Menſura Cibi.*

Facile apparet, in tanto virium digeſtricium apparatu non facile inveniri ciborum genus, cui ſubigendo impar ſit integra chyli officina. Sed quæ vires ſufficiunt huic quantitati ſubigendæ, duplæ non ſufficient. Majus eſt in homine periculum in intemperantiæ vitium incurrendi, quam in brutis, cum nec famem expectet, nec, ſi famis finis adeſt, reſtinctum ſit gulæ deſiderium. Solertiſſimum eſt coquorum ingenium inventor, in invitando ad hujusmodi exceſſus homine, ſed quomodo reſtringendum hoc malum, quæ cibi menſura præcipienda?

Nos ſane in decidenda hac quæſtione nec CORNARI frugalitatem, nec voracitatem VITELLII conſulamus, nec certe ad drachmas & grana menſura cibi dari poteſt. Convenit largior copia homini ſano, robuſto, & exercito; clima frigidum, auſteris ventis perflatum plus de ſuccis homini ſubripit, largiorem inde & ſolidioris conſiſtentiæ victum admittit; in quibusdam cibi generibus copia ſupplere debet nutrientium partium defectum, licet id ſemper cum incommodo junctum ſit, nec facile ejusmodi cibi eligendi, niſi varietatis gratia. Plus ciborum hyeme fertur cæteris paribus, quam æſtate & q. ſ. ſ.

Generatim non nimis ingeſtum eſſe, inſequens facilis concoctio docebit, & euphoria, tutiſſimus facile omnium judex in menſura cibi definienda. In homine incolumi, qui cætera ſanitatis munia ritè obit, verum eſt CELSI (e) ſemper quam

(e) L. c.

quam plurimum assumendum, dummodo concoquatur. Minus noxæ infert exercito corpori consuetudo largioris cibi, quam nimis tenuis & exacti, hi enim teste HIPPOCRATE (f) gravius delicta ferunt. Sed cavendum & hic a nimis exacta consuetudine. Recte CELSUS (g) modo conviviis sanum interesse debere, modo ab iis se retrahere. Semper exacte tantundem ciborum assumere periculosum, sive tenuior victus sit, sive lautior, aut enim priori casu sano ventriculo nimiæ feriæ fiunt, & effeminatæ vires digestrices non tam laudabiles & tanta, quanta requiritur copia, succos nutrientes elaborabunt, aut posteriori casu non semper pariter dispositæ erunt vires digestrices eidem victus copiæ subigendæ, inde crudus subinde chylus ad sanguinem mittetur. Periculosissima autem nutritio corporis athletica sine motu athletico. Hic fons tot malorum, hæc causa vitiandæ virium digestricium integritatis, hinc infarctus, obesitas, & omnis quæ sequitur morborum cohors abominabilium. Non tam monendi sunt sani a contrario vitio. Paucos anxietas, aut intempestiva sapientia impellet ad imitandum magis vel minus Cornarum. Accedit, quod qui in nimia tenuitate vivunt, non facile motibus neque corporis neque animi inhæreant, ideoque abundantiore corporis nutritione utcunque carere possint, cum e contrario experientia doceat, eos, qui ingestorum nimia mole primas vias obruunt, maxime ignavos esse, & omnia conferre ad augenda mala ex nimia ingestione oriunda.

Sed nihil tam vitandum in mensuræ cibi moderamine, quam nimis cita mutatio. Est quædam latitudo in receptivitate nervorum quam maxime impatientium, sed nulla mutatio gravius affligit, quam subitanea. Sexcenta hæc probant. Quam enor-

(f) Aphor. 5. Sect. I. (g) L. c.

enormes v. c. a naturali integritate declinationes nervi in graviditate ſuſtinent, necaturas ſine omni dubio, ſi ſubitaneæ forent? Quidni eadem lex in prima coctione obtineat? Prudenter igitur & paulatim quævis mutatio in victu inſtituenda.

„ *Senes facillime jejunium ferunt, deinde ætate conſiſtentes. Minime adoleſcentes: omnium vero minime pueri & inter hos ipſos, qui ipſi ſe ipſis alacriores fuerint* " effatum eſt Hippocraticum. (h) Addit Divinus Senex explicationem Aph. ſqq. „ *Qui creſcunt*, inquit, *plurimum habent innatum calorem, plurimo igitur opus habent alimento; ſin minus, corpus conſumitur. Senibus autem modicus eſt calor, quapropter paucis fomitibus opus habent; a multis enim extinguuntur.* " Quidquid quis de calido hoc innato ſentiat, & ſi vel in ſolo cordis & arteriarum pulſu explicationem quærat, dictis ſane phænomenis exacte applicandam, firma ſtat Obſervatio, quod plurem pro portione nutritionem requirant corpora adoleſcentia, quam adulta, plurem virilia, quam ſenilia, & loco omnium, quæ de diverſis ætatum nutritionibus dici poſſunt, ſufficiens.

## §. 3.

*De quibusdam conditionibus, ad ciborum digeſtionem facientibus.*

Dentes homini dati ſunt ad ſuperandam ciborum tenacitatem, duritiem, ad ſubigendos in pultem cibos, quo facilius tum in eos agant menſtrua animalia. Qui ubi officio ſuo negligentius fungantur, non habebunt ſane ſuccedaneum obeundi ſui muneris vicarium. Male manducatus cibus non poteſt non ventriculo moleſtias parere, actio menſtruorum ventriculi non poteſt



(h) Aphor. 13. Sect. 1.

eſt non lentior eſſe atque imperfectior in corpus male comminutum, plura, niſi herculeum ventriculo robur inſit, per multum tempus intacta quaſi relinquentur, nec ſane Creator, ſi menſtrua Ventriculi, & vim ejus nervoſam muſcularemque (ſororio nexam vinculo) paria crediſſet ſubigendis indiviſis ciborum molleculis, non tanta arte, tanta ſoliditate, tanto robore dentes fabrefeciſſet. Sed accedit & aliud momentum: per quemvis dentium ad ſe invicem adtritum ſaliva prolicitur ex ſuis folliculis expreſſa, quo negligentior igitur fuerit maſticatio, eo minus ſaponacei hujus menſtrui cibis affunditur, & ſolis ventriculi menſtruis relinquitur ea ciborum ſubactio, quæ inchoanda per alia fuiſſet. Patet igitur, cur a bona dentium conſtitutione concluſio detur ad primæ concoctionis integritatem. Satis afferta probant incommoda iis oborta, quibus vel ætas vel morbus dentes ſuſtulere, quæ ſcite expoſuit ARBUTHNOT. (i) Solicite igitur maſticatio inſtituenda, ſolicite conſervandi dentes!

Sed cum tantum, ut dictum, ad ſubigendos cibos momentum ſaliva habeat, non abſolutam credas ejus functionem, ſi perfecta eſt maſticatio. Ad juſtam ciborum in ventriculo jam detentorum ſubactionem copioſa requiritur ſalivæ deglutitio. Patet igitur, cur HALLERUS (k) morati eſſe hominis dicat ſalivam deglutire, & noxiam eſſe digeſtioni nimiam ejus exſpuitionem: Cavendum ergo ab omnibus, quæ nimium efficiunt ſalivæ diſpendium, ab omnibus, quæ illam vitiant.

Mutationes, quas cibi a coquorum induſtria experiuntur, nam & harum hic tempeſtiva eſt conſideratio, varii generis ſunt. Aliæ

---

(i) Eſſai ſur la nature & le Choix des Alimens, Chap. I.

(k) Loco ſuperius citato.

Aliæ neceſſariæ, ut maceratio & emollitio durorum & tenacium, diſſolutio partium ciborum nimis cohærentium & ad ſapidiorem guſtatum præparatio ſalium ope, fermenta iis addita, quæ ſuapte natura glutinoſa & nimis inviſcantia ſunt, liberatio ab aëre fixo coctionis ope in iis ciborum generibus in quibus horum liberalior copia offendere poſſet, & q. ſ. ſ. Alia ad titillandum palatum adduntur, quorum quidem alia innoxia ſunt, nec ſæpe incongrue inſtituta, alia vero ob guſtus picas, naturalem ciborum indolem enervant, alterant, vitiant. Hujus generis ſunt aromata varia, quorum quidem moderatus uſus ad excitandum languentem ſtomachum egregius ſæpe eſt, exceſſivus autem & nimis aſſuetus incommodus; combinatio variorum cibi generum, condituræ ſaccharinæ &c. Sed cum minime ſit inſtituti mei, artem culinariam ſcribere, hæc facile ſufficiant. Conſuetudinis dominium nec hic negandum, ſed quo ſimplicior ciborum præparatio, eo cæteris paribus hominis naturæ amicior.

Tempus edendi quod attinet, brutorum exemplum, quæ nunquam niſi fame impulſa veſcuntur non facile nunc quis imitabitur, ſed generatim notandum, prudenter quemvis agere, qui non nimis ſcrupuloſe tempori cibis aſſumendis deſtinato ſe adſtringit; qui minus cœnæ, quam prandio indulget cum euphoria id faciet, plane abſtinere a cœna non generaliter conſulendum. Jentaculo abſtinere alios juvat, aliis incommodum eſſet, ejus loco potum aromaticum, coffeam, chocoladam & quæ hæc nomina ſunt, ſubſtituere, non promiſcue ſuadendum, ſed hoc certe tempore, ſi quo alio, maxime impune, vel cum euphoria ferri, mihi quidem videtur. Extra ſtatum tempus nil eſculenti aſſumere morati hominis eſſe poteſt, ſed non promiſcue a Diætetico præcipiendum, cum nullis legibus ſanus ſe obligare debeat, cum idioſyncraſiæ inſuper eſſe poſſit, ut non commode tot ſimul aſſumta ferantur, quot ad nutriendum liberaliter hominem ſufficiant, unde neceſſarium fiet, juſtam quantitatem partitis doſibus

consumere. Sed si ullibi, hic certe consuetudini jus suum tribuendum.

Utique sexcenta adhuc ex reliquis rerum non naturalium momentis ad ciborum subactionem & justam digestionem facere possunt, quae vero sub ulteriore harum rerum tractatione fusiorem huc lucem spargent; id saltem hic adjungam, nullas cum fructu epulas esse posse, in quibus animus non aeque praesens sit ac corpus. Detentus meditatione altioris indaginis momentorum non bene ad subactionem in ventriculo absolvendam cibos praeparabit; mala illos succorum qualitate imbuet, qui iracundus, qui tristia mente volutans deglutit. Sermo de rebus doctis & investigatione subtiliori indigentibus exulare ex sanorum mensis debet, juvabit contra amicum amicorum colloquium. Sed ohe! jam satis est, nimis specialibus memet obruo, properabo ad

## §. 4.

### *De Potu Sanorum.*

Simplicissimus & sedandae siti naturali aptissimus potus aqua est, quae, si pura sit, omnes, quae in potu requiruntur, virtutes habet, diluendae exagitati per vividum motum sanguinis acrimoniae, restituendae justae inter solida & fluida rationis, nec ulla corpori infesta qualitate gravatur. Quas autem notas purae aquae habeamus, & quae incommoda sequantur aquam magis vel minus impuram, ardui sane momenti res est, cujus autem expositioni eo facilius hic supersedeo, cum fuse a multis exposita sit. Aquam igitur puram pro ordinario hominis potu destinatam esse, nemo erit, qui diffiteatur.

Quo autem frigidior & purior, eo laudabilior. Coctae aquae & seminibus vel herbis infusae, tepideque epotae exulare ex sanorum abacis omnino debent, cum relaxent nimis & vires dige-

digeſtrices effeminent. Aquæ minerales & omnis generis medicatæ non ſunt pro ſanis factæ, aut enim inſigni virtute medica, tum incommodæ pro ſanis, medicamento non egentibus, aut exigua pollent, non conſiderandæ tum, niſi ratione majoris vel minoris impuritatis, & ſemper ſimplex illis aqua præferenda. Sed & hic conſuetudini quid dandum. Accolæ putei mineralis aquam hanc ſenſim æque impune bibent, cibisque incoquent, ac alii ſimplicem.

Quid de aromaticis potibus ſtatuendum & ſpirituoſis? Aromaticorum potuum moderatus uſus in aſſuetis ea ſane vituperia non meretur, quibus invehuntur auſteri Diætetici, qui dum vitant vitia in contraria currunt. Languentem ventriculum non ſine uſu excitare poſſunt, & matutino quidem tempore, vel poſt epulas, modo modus non excedatur, aſſumti, non male diſponent vires digeſtrices ad munera ſua alacrius obeunda: ſed eam ipſam ob cauſam, ſi ſtimulo non eget ventriculus, ſi reliquum regimen ita comparatum eſt, ut hunc ſtimulum augeat, ſi modus exceditur, facile patet, quomodo nocere abuſus poſſit, dum plethoram in abdomine partialem augere poteſt, vel anſam ei præbere. Spirituoſa noſtro ſaltem climati idoneum potum non præbent, nec niſi parce adhibita aſſuetis ignoſcenda. Largior uſus nou facile ſine maturæ ſenectutis metu erit, & arduis a nimia fibrarum rigiditate, nimia ſanguinis rarefactione oriundis incommodis.

Vinum ex Chemicorum experimentis non eſt, niſi dilutus aquoſis & oleoſis & ſalinis partibus ſpiritus. Ex varia igitur conſtitutivarum harum partium ad ſe invicem relatione conſiderandus erit ejus in ſanum corpus effectus. Non abſolute neceſſarium eſſe vini uſum incolumes & longævi aquæ Potatores teſtantur, & variorum ex ejus abuſu incommodorum eorumque graviſſimorum copioſa exempla experientia ſuppeditat, ſed evidentia

tia ſane etiam ex ejus recto uſu emolumenta. Quid ſane ventriculo ne dicam ægroto ſed languenti ſaltem in homine exercito, cui multus curſus, multa eſt meditatio, qui vires nervoſas ventriculo debitas aliorſum ſexcenties rapere debet, quid amicius erit, quam ſtimulus tam demulcens; oleoſis enim partibus fetum eſt vinum: tam moderatus; aqueæ enim partes inſunt: reſolvendis in ventriculo detentis per ſe idoneus: quis enim ſalinas partes negabit? Sed facile video paucos tam continentes in vini uſu fore. Præcipua enim ejus virtus, quod liberiorem præſtat ſanguinis & omnium humorum circulum, & cujus maxime immediata eſt ſequela, ut animum hominis exhilaret, hæc præcipua ejus virtus, quæ omnia ſuperat, quæ in laudem ejus dici poſſunt, quem non ad ejus abuſum invitavit? Abuſus autem vini certe fere easdem, quas ſpirituoſorum abuſus ſequelas habebit. Reliquæ enim conſtitutivæ partes, ſi largiori copia vinum uſurpatur, hujus vitiis obicem opponere non valebunt. Sed quis modus tenendus? Quæ vini menſura præſcribenda? Difficillima ſane in generalibus determinatu quæſtio. Quod minus ſpirituoſis, reliquis autem partibus magis abundat, largiorem pro re nata uſum impune admittet. Aſſueto quoque multo copioſior quantitas ea incommoda non pariet, quam inſueto. Sed in quantum aſſueſcendum? Alia quæſtio eodem redux. Ægris & valetudinariis circumſpecte ſaltem, parca doſi, vinum concedendum, ſanos autem euphoria & virium inde refectio ſine ſuccedaneo languore, ſi non de induſtria ſurdi erunt, de juſta quantitate inſtruet, individuo ſuo corpori conſentanea; & varia etiam anni tempora, variæ ætates variam ferent vini copiam. Sed & id hic ſubmonendum, qualescunque quis declinationes in vini uſu inſtituere velit, paulatinas eſſe debere, cum ſubitaneæ periculo plenæ eſſe poſſint. Cavendum porro a vini generibus inſuetis, & ab iis præcipue (quod vero & de reliquis fermentitiis

poti-

potibus dictum esto) in quibus fermentatio ob inexplebiles gustus picas tyrannico infrenata est molimine.

Superest, ut & de aliis fermentitiorum potuum generibus, tum & de analepticis pauca addam. Priores quidem, cum spiritus fermentitius sive ex uva sive ex Cereali quodam fermentet, semper sit spiritus, eadem quæ alia spirituosa incommoda haberet, nisi confermentantium plantarum, aut quidquid additur, propriæ qualitates propria vel commoda vel incommoda adderent, unde modo medicatus, modo inflationem vel tormina producens, ad obesitatem disponens potus fit, semper duplici hoc respectu æstimandus. Ad analepticos autem potus non confugiunt nisi ægrotantes vel æstatis æstu languidi, quos igitur instinctus quasi impellit, euphoria dimittit. Horum autem usui si quis nimis assuescere vellet, facile patet, præsertim si non robustam digestricem machinam & menstrua per se efficacia habet, digestioni per hæc non mediocrem noxam infligi posse. Sed hæc utique vitia multo aliis rariora.

Quæ autem generatim ratio potus ad solidos cibos? Cum ad ipsam solidorum digestionem pertineat, ut bene diluantur, cum fluidæ corporis partes eæ sint, quæ facillime difflentur, affatim patet, non exiguam esse debere potus ad solidos cibos rationem. Duplam, ni fallor, communiter ponunt, sed hic facile sitis quemque instruet, quæ quantitas impar sit, quæ sufficiat. (Potatores excipio, non sitis ergo, sed ob potandi voluptatem potulenta ingurgitantes.) Utique tam opportunis infarctibus vasis abdominalibus largior potulenti haustus non importunas feret suppetias, sed consuetudo majorem huic, alii minorem quantitatem necessariam faciet. Qui majori opus habet, non negandum, modo opera detur, ut aquæ, quam bibit quantitas vini copiam excedat, eum enim generatim pravum vitæ genus vivere, pronunciare non hæsitarem, qui solo ad sitim se-

dandam vino utitur. An incongruum eſt, extra tempus cibis aſſumendis deſtinatum aliquid potulenti aſſumere? Ego ei, qui tam regulari ſe regimini ſubjecit, non facile ſuadebo, ut tramitem hunc deſerat, ſed ſano nulli conſulerem, ejusmodi jugum ſibi imponere. Poterit ſane conſuetudinis tyrannidi longævæ aſſuetus ventriculus, impune demum tantum ſimul aſſumti potulenti ferre, quantum ſufficit ad humores ad redux ſtatum tempus diluendos, ſed qui aſſueſcere velit, non poterit non initio ſaltem vel ſiti ſe torquere, quæ fame longe intolerabilior eſt, vel plus ſimul ingurgitare, quam commode feret. Generatim ſanus homo nullis ſe obligare legibus debet, præſertim in rebus per ſe tam inſontibus, ut tempus bibendi eſt. Cæterum, qui a ſe impetrare poteſt, ut de vini quantitate in cœna detrahat, vel id ipſum omittat non imprudenter aget. An conſiderationem hanc Diætetica illa regula: ut quisque vel animi vel corporis motibus exæſtuatus caveat, ne nimis cito, ne nimis frigida, ne refrigerantia potet, coronem? Sexcenties jam ab ipſis Aniculis decantata eſt, ſed ideo non minus momentoſam eſſe tot Virgines probant, quæ hecticum, quo conſumuntur, corporis ſui ſtatum nulli alii cauſæ originetenus debent, quam intempeſtivo hujusmodi poſt ſtrenuam ſaltationem potui, aut frigidæ, aut analepticorum. Id certe exploratum eſt, qui corpus per ſe non firmum habent, quot autem huc non trahendi? elegantior potiſſimum ſexus huc referendus, iis ab hujusmodi exceſſibus magis cavendum, robuſtiores enim a qualicunque delicto minus læduntur. Similem & prægreſſos animi motus effectus habere poſſe per rei naturam eluceſcit.

## §. 5.

*De Ægrorum nutritione.*

Cum omnes morbi vel ex primis viis originem trahant, vel ſaltem, tam late patente, nervorum, quibus reguntur, impe-

imperio confenfuque, fympathico modo afficiantur, femper non poterit non effectus in chylum notabilis adeffe. Ne dicam de eo momento, fi ventriculus, fi inteftina læfa chirurgi manum medicatricem experiantur, quanta in nutriendo ægro circumfpectione opus fit, in quovis alio morborum genere, primas vias non tam immediate, ut videtur, tangente, fimile eft rei momentum. Sed aliter nutriendus acute ægrotans, aliter chronice; qui putrido morbo laborat, alio victu egebit, quam qui bilis inefficacia, mucofitate, acido &c. Sed ftrictim hæc dilucidabo.

Imitabile fane exemplum Antiquitatis, primis morbi temporibus vel nullos vel pauciffimos cibos exhibentis in iis morbis, in quibus vires ægroti per nutritionem non fuffulciendæ, i. e. in quibus ob nimium robur natura hominem jugularet, nec ægri fane defideriis reluctabitur, ciborum, faltem dum viget morbus non appetentis. Sed potus hic prorfus alia ratio, ac inter Veteres quidam voluerunt, qui fiti ægros torquendos cenfebant. Is multus, refrigerans, refolvens, optime acidiufculus efto.

In morbis autem, in quibus putredo oppugnanda vel debilitatum corporis robur recuperandum, vel infarctus tollendi &c. in lentis præcipue, plus fæpe virium eft in victu medicamentofo, quam in ipfis medicamentis. Scorbutus, cachexia, malum hypochondriacum exemplorum loco funto.

Corpora nempe ægrota funt corpora viva, nec fane tam tumultuariæ anarchiæ obnoxia, ac plures fibi forfan perfuadebunt. Habent ergo communia cum fanis corporibus, nec fi in animato corpore pathologica coctio obtinet, excludetur phyfiologica. Utique fi materia peccans, dum in fecunda coctione tragœdiam fuam ludit, illuc rapit vires nervofas, habes, cur

 cir-

circumſpecte primæ inſervias. Patet igitur, cur in inflammatoriis morbis modica eſſe debeat ingeſtio. Si vero oritur morbus a debilitata nimis prima coctione, & vitia inde exſurgunt ad omnes coctiones redundantia, alia ſane quæſtio eſt. Alenda hic ſunt corpora, ſed ſic alenda, ut paulatim ſolidiori & per ſe alibili cibo aſſueſcant, ſed non gelatinæ iis præſcribendæ, quorum prima coctio languet, cum iis ſubigendis ægre par ſit ventriculus ſaniſſimus. Si inde morbus originem vel augmenta trahat, quod putrida in primis viis colluvies ad ſecundam coctionem & ultra effectus prodat, victus eſſe debet ita medicamentoſus, ut ex putrido chylo paulatim putredinem corrigens efficiatur. Si infarctus latent in imo Ventre, continuatus certe ciborum reſolventium uſus, cum multo copioſior eſſe, quam medicamentorum poſſit, plus etiam emolumenti feret. Sed hæc exemplorum ſaltem loco ſunto de ciborum emolumentis ad morbos profligandos.

Contra cum in morbis, in quibus prima coctio languet ſæpe non pro ratione proſtratus ſit appetitus, quin voracitas quandoque major urgeat, facile patet, ſi ei indulgeatur, quam damnoſi effectus in prima coctione poſſint exſurgere. Non poteſt niſi male elaboratus chylus ad ſanguinem mitti, & languor totius corporis cum cachexia, vel quicquid adeſt vappidæ bilis conſortium, adaugeri. Idem eveniet, ſi in ſelectu ciborum peccetur. Momenti plena res eſt in atrophia v. c. infantili, ardua etiam in ſtatu, Methodicis dicto, metaſyncritico, quum experientia doceat, per ſolam nimis ſubitam intemperantiam in priſtinos vel graviores morbos incidiſſe Convaleſcentes.

" *Quoscunque cibos, aut opſonia, aut potiones ægrotantes* " *expetunt, ea ſuppetant, ſi nullum corpori nocumentum* (evidens), " *ſit adfuturum* " effatum eſt *Hippocraticum* (1) & a Recentioribus

(1) De Affectibus. Sect. II. Cap. 12. *Edit.* HALLER.

ribus rati habitum, ſub eo ſaltem limite, niſi quidem ſubſit delirium vel phyſicum vel morale, i. e. in gulæ intemperantia ſitum. Sive enim inſtinctus naturalis, qui, ſi alicubi, certe in morbis aliquando ſe exſerit, ſive conſuetudo ad efflagitandum incitaverit, non facile negandum, cum experientia doceat, qui aſſueti, dum ægrotat, conſuetudini multum deroget, mirum quantum ſanitatis reditum morari. Vel ſpiritui Vini aſſueti id aſſertum vindicant, (m) ſed ultro etiam patet, omnia circumſpectius in ægro molienda. Si quis intemperantior morbo decumbat, qui appetitum non protinus & pro portione proſternit, utique liberalius nutriendus erit, quam qui minus intemperans, ſed circumſpecte, & ſæpius potius & minoribus doſibus, quam ſimul & lautius. Et ſi quis conſuetudini victas manus dedit, hujus morbi genio plane contrarias, ad alia ſane illi veniendum eſt, ſed mutatione paulatim inſtituenda. Sed hæc in generaliori tractatione non fuſius deduci poſſunt, & ſelectus etiam ciborum, qui ſemper pari paſſu cum indicatione morbi curatoria ambulare debet, & copia ingerendorum, in quovis individuo caſu pendent a prudentis medici judicio practico.

Potus magnam ſibi in morbis attentionem vindicat, quod & inde liquet, cum non mediocris ſit therapiæ pars potuum medicatorum accommodata propinatio. Vinum mirum quantum ad morbum debellandum, malignum præcipue ac putridum, vel ſaltem ad robur recuperandum poteſt, a prudenti medico diſpenſatum, non inconſulta ægri conſuetudine. Aquæ medicatæ multos olim Fautores habuere, nec adhucdum deſunt; ſed dubito, an tantas, quibus paſſim deprædicatæ leguntur, laudes mereantur, non obtinendas, me quidem judice, niſi & mo-



(m) Trahendæ huc Obſervationes ALEXANDRI MONRO in den Edinburgiſchen Verſuchen, V. Band, p. 635-639.

tus, & animi ad hilariora revulſio, vel & ipſa copioſior aquoſi principii ingurgitatio, aliàs ab ægro non impetranda ſuas ad laudem fonti ſoterio conciliandam partes contulerint. Cæterum minime eſt mei propoſiti, permultis efficaciam ſuam negare, ſalina in his principia, martialia in illis, in plurimis aër fixus, ſi tempeſtive a medico præſcribantur, haud ſegnis fructus eſſe poterunt, & majoris ſubinde eſſent, minusque incommodis paſſim obſervatis paterent, ſi quidem in ipſo motus moderamine, vel & in præſcribenda potulenti menſura minus peccaretur, & major adhiberetur ad individuam ægrotantis conſtitutionem, ad reſiduarum virium rationem &c. attentio.

## §. 6.

### *De Valetudinariorum Nutritione.*

Magna iis moderatione in nutritione opus eſt, qui læſum habent ob inveteratos cauſarum occaſionalium effectus, vel ob hæreditariam cauſam digeſtionis robur; ſed hic mihi ſufficiet generatim indicare, exemplorum quaſi loco, paucas infirmitatum ſpecies, in quibus evidens eſt declinationis a victu ſanorum neceſſitas, cum ſpecialiora quævis diætetica præcepta in hujusmodi hominibus prudens medicus ab individuali idioſyncraſia petere debeat, & euphoria, per crebriora experimenta expiſcanda.

A Celſi & ultra inde tempore ſolenne fuit medicis, ſingularibus pro ſanitate tuenda præceptis literarum cupidos inſtruere. Utique, ſi quæ vitæ ratio, ea certe Eruditorum par erit frangendo digeſtionis robori. Ea igitur præcepta pro numeroſo illo hominum genere, qui primarum viarum debilitatem experiuntur, dicta eſſe poſſunt, eo ſaltem diſcrimine, quod evidens magis ſit neceſſitas in iis, qui oppido vim nervoſam digeſtioni debitam aliorſum rapiunt, qui & in motus regimine multiſa-

tifariam peccant, & in animi pathematibus eximii ſunt, quis enim, niſi affectu vehementiori ſolicitatus, meditabundus theoremati inſideat?

Patet igitur, tum in eruditam vitam viventibus, tum in omnibus, qui a qualicunque cauſa debilitatam habent primam coctionem, i. e. hypochondriacis v. d. vel cum vel ſine materia, ſtrenuam eſſe debere victus temperantiam. Selectum quidem ciborum quod attinet, nollem negare, exquiſitum qnalitercunque dari poſſe ciborum cenſum facile & difficulter digeſtibilium, nec ſine fructu paſſim ab obſervantibus & eruditis viris datum; verum hic primarium tenet momentum idioſyncraſia per tentamina expiſcanda, cum eodem malo laborantibus idem cibus huic amicus, illi infeſtus eſſe poſſit. Sed & ea eſt prudenter inſtituendi victus cautela, ut non facillima quævis digeſtu alimenta propinentur, ſed & difficiliora paulo, ut ſenſim majus robur inducat digeſtrix machina. In ingerendorum autem copia ſolicita & parca manu, nec ſecundum appetitus efflagitationes, qui ſæpiſſime non pro ratione debilitatæ concoctionis languet, ſed ſecundum inſequentem inde euphoriam, & pro motus & reliqui regiminis ratione, modus tenendus, cum is ad imminuendum vel adaugendum malum maximi ſit momenti. In vini & aromaticorum potuum uſu (licet roborandi debilitati ventriculi ergo non proſcribendus ſit) eam ob rationem cautio adhibenda, quia in debilitato abdomine plethora partialis inde gignitur, hæmorrhoïdibus, menſtruorum turbis ac uterinis affectibus anſam præbitura. Aquæ, frigidæ quidem, ingeſtio debili ventriculo ſtomachicorum ſubinde loco erit haut ſegnium, & in hypochondriacis vulgo dictis cum materie aquæ copioſus uſus, qui vero, quod facile collectu eſt, non ſimultanea ingurgitatione alias moleſtias facit, efficacis erit ad infarctus diluendos virtutis. Eandem quis ob rationem opinabitur, theiformia infuſa eundem effectum habitura & eo tutiorem, ſi reſolventibus herbis infundantur,

dantur, ſed conſuetudo theæ potatorum, qui tepidam eam utplurimum & ſæpe nimis copioſa ſimul quantitate ingurgitant, eludit mirifice fructum, a reſolvente infuſo expectandum. De medicamentoſis proprie potibus hic non ſermo, quorum alia ſane obtinet ratio.

Nec majori certe intemperantiæ privilegio gaudent phthiſici vel hectici, vel utrique labi opportuni, cum juſta victus ratio in levandis morbi ſymptomatibus, in trahenda vita, in retardando vel arcendo diſpoſitis, in tollendo jam affectis, malo, majores ipſis medicamentis effectus edat, perverſa tantundem certe, quam ſiniſtra medicatio peſſumdare poſſit. Facile patet ratio, cum hæc mala vel ex primis viis originem trahant, vel mirum quantum inde exaſperentur, & cum ipſo mali augmento creſcat primæ coctionis debilitas. Lucis quid in phthiſicis res petit ex magno, quem in ulcus vel cutaneum habet, diætæ influxu. Superſedere poſſum ſelectui ciborum præſcribendo, cum affatim, duce experientia, id ab aliis factum ſit. Quanti refrigerans diæta in phthiſi momenti eſſe poſſit, MUZELII (n) caſus docuit, quam amica phthiſicis lacticinia ſint, quotidiana fere docet experientia. Caveant generatim hujusmodi homines, ne plus ingerant, quam rite elaboraturas vires digeſtrices ſciant, cum nil pejorem in mali augmentum influxum habeat, quam crudus chylus; evitent omnia, quæ præternaturalem illi acrimoniam, vel nimiam ſanguinis exæſtuationem efficere poſſunt. Superius jam data occaſione carpendum ſumſi vulgi præjudicium in efflagitandis pro macilentis gelatinis, nec opportunior certe huic reprehenſioni repetendæ locus erit, cum phthiſicis & hecticis præcipue a medicæ plebis aniculis utriusque ſexus conſulantur, & hi ipſi ne illis quidem cibis ſubigendis pares ſint, qui vel duplo minorem contineant nutrientium partium quantitatem.

Per


(n) Medicinische und chirurgische Warnemungen, I. Caſus, der I. Samml.

Per ſe patet, plethoricis & apoplexiæ opportunis omnia ſedulo evitanda eſſe, quæ plethoræ vel univerſali, vel particulari ſanguinis in capite rarefactioni anſam dare poſſint. Cavendum igitur ab omnibus inebriantibus & nimis nutrientibus. De motu & reliquo regimine nondum hic locus eſt diſſerere.

Notandum eo fere ſaltem nomine, ne quid præteriiſſe videar, eſt momentum, quod in allevando vel adaugendo malo habet major vel minor temperantia in ciborum uſu, ſed potiſſimum etiam in vini & inebriantium potu, in arthritidi podagræve ſimilibusque affectibus obnoxiis. Non quidem nullum, ſed non tantum ac menſura ciborum & hic ſelectus momentum habet. Hyſtericæ propriam requirerent diæteticen, & forſan quævis alia aliam, ſed præter generalem victus temperantiam & ab inebriantibus abſtinentiam, quæ omnibus præcipienda, ſelectus & menſura ciborum, ſi cujus, certe Hyſtericarum idioſyncraſiæ relinquenda. Verminoſorum tandem appetitui ne pigeat verbo apologiam dicere. Enormem ſubinde eſſe, experientia docet, & quodammodo reſtringendum, quis prudens negabit, ſed indulgendum ei aliquid eam ob rationem eſſe cenſerem, quia revera pluris alimenti egeant, cum efficacius ad cibum capiendum ſtimulentur; eoque magis indulgendum, quod malo laborant, non abſtinentia, ſed medicamentis tollendo, & cum ipſa verminoſa cauſa tolli debeat nimia ciborum appetentia, & tollatur etiam: ſed prudentis erit, ejusmodi cibis eorum appetitui indulgere, quorum ipſi vermes impatientes obſervantur.


  

D Cap.



# CAP. II.

## DE AERE.



Duplex respectus est, ex quo considerandus venit aëris in corpus humanum effectus, prout nempe vel intrat illud, vel saltem ambit. Ego pauca strictim de utroque aëris influxu edisseram, subjuncturus generalia de modo se defendendi contra externas aëris injurias, & prudenti ejusdem circa ægros moderamine.

### §. 7.

*Aëris inspirandi qualitates.*

De absoluta respirationis necessitate, & de eximiis tam immediatis, quam mediatis ejusdem fructibus facile quis sibi ex *Hallerianis* principiis (o) persuadebit. Videndum nunc, qualibus attributis dotatus esse debeat aër, qui aptissimus illi, cui destinatur muneri, censeatur.

Cum inspirandi aëris debeat esse, compressum pulmonem explicare, & ipse vi quadam quasi suctoria in pectoris cavum alliciatur, facile patet, optimum fore huic muneri obeundo aërem, qui & elasticitate & puritate, addunt Observatores & densitate,

(o) Primæ Lineæ Physiologiæ. Cap. VIII.

ſitate, excellit. Hinc cæteris paribus hybernus aër æſtivo ſalubrior, hinc difficilior in excelſis locis reſpiratio &c.

Omnia igitur, quæ aëris elaſticitatem minuunt, vapores, exhalationes ex locis paludoſis, quæ impurum faciunt & heterogeneis partibus implent, vel mechanice vel ſubtiliori modo moleſtiam facientibus, reſpirationi ſunt infeſta, & ſi fieri poteſt (nam hæc non, ut reliqua diætetica momenta, ab hominis arbitrio pendent) ſemper ejusmodi aër evitandus, quin ſi villa &c. eligenda, ad aëris quoque conſtitutionem non ultima adhibenda attentio, cujus expiſcandæ varia dantur ſigna paſſim occurrentia. In ſano cæterum homine & aſſueto qualiacunque aëris vitia non tam notabiles exſerent effectus, quam in aſthmatico v. c. vel alia pulmonis labe detento, in cujusmodi homine magni momenti eſſe poterit aëris mutatio, ſed caute inſtituenda, ne inſigniter diverſus aër noxios in pulmones inſuetos effectus edat.

Inſignes etiam ſunt effectus caloris & frigoris, tum in pulmones, tum in reliquum corpus, de quibus vero paulo plura ſequenti §o. Nil autem plus aërem vitiat, nil inſpirando infeſtiorem reddit, quam crebrior ejusdem per animales pulmones tranſitus. Habitaculum igitur anguſtum, plurium hominum in loci cujusdam anguſtia confluxus, mirum quantum faciunt ad aërem vitiandum, & funeſti ſæpe fuerunt, quos ejusmodi aër produxit, effectus. Dantur quidem per Ventilatores (ſed id remedium noſocomiis magis & navibus relinquendum) per feneſtrarum & januarum apertionem ſuccedanea auxilia, ſed efficaciſſimum, nec ſano homini ſatis commendandum remedium eſt crebrior uſus aëris ſub Divo liberioris.

De occultis, quæ ad ſpargenda morboſa ſeminia faciunt, aëris qualitatibus, quia occultæ ſunt, non multus ſermo. Contagio-

tagiorum certe propagandorum fomitem aërem liberum non esse, experientia docuit indubitata; id cæterum negari nequit, cum aër plurimis heterogeneis partibus scatere possit, & scateat sæpissime, & tales in illo obvolitare particulas posse, quæ ad producendos morbos corpori communicatæ facere possunt, & hic insignis, licet non solitarius, fons morborum pandemiorum.

## §. 8.

*Aëris variæ vicissitudines.*

Varii sunt, quos aër, qua fluidum, corpus nostrum ambeuns, prodit effectus, pro variis ejus vicissitudinibus, ratione caloris & frigoris, siccitatis & humiditatis, ratione ventorum variorum, sed maxime notabiles effectus a subitis mutationibus pendent, cum ex humido derepente siccus fiat, ex frigido calidus, & vice versa.

Et sensus & effectus caloris atmosphærici, diversi illi quidem & pro graduum & receptivitatis in corpore diversitate, varii sunt. Præcipui effectus, quos Observatores notant, in sanguinis rarefactione, solidorum relaxatione & immutatione fluidorum se exserunt. Is optimus caloris gradus, qui longe inferior calore naturali sanguinis in homine vivo. Excretionum viis aperiendis, sine nimia fibrarum relaxatione atque vasorum, aptissimus est secundum SAUVAGE (p), qui ad summum gradum thermometri Reaumuriani 35$^{tum}$ non attingit. Quid excessi-

(p) Dissertation, où l'on recherche, comment l'air agit sur le corps humain. Bourdeaux, 1753. Recensio extat in *Commentariis Lipsiensibus*. Vol. X. P. II. p. 249.

ceſſivus nocere poſſit, experimenta docent, circa animalia in hypocauſtis calefactis a BOERHAAVIO inſtituta. Laborioſam in vel modice calidiori atmosphæra reſpirationem eſſe, quis eſt qui non expertus ſit, & ſi acceſſerit 46° R. convulſive interemiſſe animalia obſervata eſt. Trahendæ huc inſolationum hiſtoriæ. Quantos autem caloris exceſſus conſuetudo ferre doceat, obſervata paſſim occurrentia nobis evincunt. (q)

Hæc caloris per ſe incommoda paſſim obſervatoribus notata, & febres putridas, choleras, colicasque bilioſas, vel ſiccum calidumque aërem diu continuatum inſequi, non repugnantibus ſane æſtivarum epidemiarum hiſtoriis BASTER (r) affeit, ſed unanimis etiam omnium eſt aſſertio, mirifice augeri noxios caloris effectus, ſi conjunctus ſit cum atmosphæræ humiditate.

Amicior utplurimum frigoris in corpus eſt influxus roborando partes ſolidas & fluidas arcendo, ne nimio impetu ad ſuperficiem ruant. Sed eo ipſo, dum nimis exceſſivum ſit, nimis reſtringere poteſt cutis colatorium, & in tantum arcere affluxum humorum ad partes externas, ut moleſtiam pariat nimius eorum in interioribus confluxus. Si frigus cum humiditate junctum ſit, nimis exhalationem inhibere obſervatur, nimis igitur & liberiorem humorum circuitum impedire.

 Frigi-

(q) Quam enorme hujus rei exemplum ſuppeditat Relatio de calore atmosphæræ in Georgia, obvia in Transact. Philoſoph. Vol. L. cujus curatam recenſionem ſiſtunt *Commentarii* m. d. *Lipſienſes!* Vol. X. P. I. p. 150.

(r) De aëre tanquam Cauſa Morborum. Comment. Societ. Harlem. P. III. 1757. v. *Commentarios Lipſienſes*. Vol. IX. P. I. p. 5. ſeq.

Frigidus aër utplurimum gravior eſt. Gravitatis autem notantur effectus, comprimere magis ſuperficiem corporis, & ſanguinem adeo verſus cor & interiora repellere. Unde ſi cui nimis diu in ejusmodi graviori atmosphæra morandum ſit, vaſa nimis conſtringentur, denſabuntur inde humores & obſtructionibus homo patebit atque inflammationibus. Diminuta autem aëris preſſio mirum quantam concedit aëri interno liberandi ſe & evolvendi, hinc vaſa diſtendendi copiam. Inde laſſitudo, pulſus tarditas.

Quid damni ex ſubitis atmosphæræ mutationibus oriri poſſit, facile patet, cum quivis ſtatus non ſine noxa ſit ad quandam vehementiam evectus, & tam diverſi ſint effectus ſtatuum diverſorum, & ſane, quæ de morbis ex aëre ortis leguntur obſervationes, his potiſſimum debentur, & in iis anni tempeſtatibus plurimi morbi, in quibus variantes maxime tempeſtates.

Ventorum in corpus influxus ex eo potiſſimum reſpectu conſiderandus mihi videtur, quod præcipua ſint machina ad aërem ſic vel aliter afficiendum. Sed illiſu quoque vehementem ventum nocere poſſe, imbecillis præcipue, facile patet, cum ex aliqua parte tollat æqualitatem illam, quæ indemnem nobis facit aëris externi preſſionem. Id autem in genere eſt venti beneficium, quod tolerabilem magis faciat calorem aëris, diſſipando enim vapores aëre ipſo ſemper calidiores & puriorem hunc reddit & frigidiorem, & ſi vel id tantum perpendas, hominis calorem internum ſemper majorem eſſe calore aëris externi, hinc proxime ambeunti Atmosphæræ impertire de ſui caloris menſura, facile patet, cur ventus hanc proximam atmosphæram diſſipando recreare corpus poſſit & refrigerare, dum anſam præbeat calefaciendæ rurſus ſubinde novæ atmosphæræ.

Hæc

Hæc fere ſunt, quæ ad ſatagendum materiæ meæ, de aëris variis viciſſitudinibus, dum obſervandi copia mihi ipſi non fuerit, ingenuus fateor, ex aliis obſervatoribus ſupra adductis depromſi. Quum vero horum fuiſſet, ex profeſſo de aëre ſcribere, et morbis inde oriundis, facilis nec injuſta ſuſpicio eſt, nimios illos eſſe potuiſſe in adſcribendis aëri morbis, qui forſan innumerarum aliarum cauſarum confluxui remotam debent originem. Certe cum præcipuus aëris effectus in perſpirationem ſit, & alii effectus inde deductitii; patet in morboſe diſpoſitis, qui ſcrupuloſiores eſſe debent circa hanc in regulari rythmo conſervandam, majores eſſe poſſe aëris influxus, generatim autem tantos non eſſe, cum univerſi populi impune cutem oleo inungant, & parata ſit natura ad compenſandum alio modo hoc colatorium. Non nullum autem eſſe atmoſphæræ in hominem influxum probat vel animi ſerenitas a cœli ſerenitate multifariam pendens, ad quam licet & idearum quædam aſſociatio, cui aſſueſcere quaſi animus poteſt, facere poſſit, omnia tamen non facere brutorum analogia docet, ad aëris externi viciſſitudines tam ſenſibilium, quæ quidem ſenſibilitas nec homini plane negata eſt, ad majorem etiam, ſi vellet homo, gradum evehenda. Quid in inveteratis externis ulceribus etc. ſenſuum aër producere poſſit, lippis & tonſoribus notum eſt, qui vero peculiaria hac de re phænomena ſciſcit, ejus curioſitati ſatisfaciet, BERRYATI Commentarius de *Utilitate Obſervationum barometricarum in praxi medica* (s). Sed & ſingularis nec tacendus aëris effectus debetur vaſis corporis reſorbentibus, per quæ materiæ morboſæ ſubinde non pauca pars corpori communicari poteſt.

§. 9.

(s) Memoires de Mathematique & Phyſique de l'Acad. Royale des Sciences à Paris, Tom. II. 1755. vid. *Comment. Lipſ.* Vol. VI. P. III. p. 530.

## §. 9.

*Modus ſe defendendi contra externas aëris injurias.*

Nullo modo tam artificiale & tantis apparatuum ambagibus quærendum eſſe homini ab aëre externo præſidium, Barbari docent. In mitioribus climatibus impune nudus aëri obſiſtit homo incultus. Satis ſub crudeliori cœlo a frigoris injuriis vindicat Venatorem barbarum pellis trucidato fero detracta. Spelunca vel taberna, ſtructa ab oppoſitis ſibi quibusdam arborum ramis roſarum licet non decoratum amœnitate, ſufficiens tamen erit ad evitandum ſolis calorem Jovisque frigus aſylum.

Licet a Barbaris ad, excultas dicam an effeminatas? climatis noſtri gentes legitima non detur conſequentia, id ſaltem nos docebunt ſumma conſuetudini jura eſſe in toleranda magis vel minus impune aëris violentia. Prudentis ergo erit, paulatim, ſi inſuetus ſit, magis magisque ſe aëris injuriis exponere, prudentis Educatoris a teneris alumnum a qualiscunque aëris uſu non excludere, ne incommoda patiatur adultus, quæ non paſſurus erat, ſi a teneris fuiſſet aſſuefactus.

Sed cum hujus loci non ſit, ſpecialia de amictus, quo nempe reſpectu contra externi aëris injurias propugnaculum eſt, de habitaculorum optimo inſtituto diſſerere, præter pauca axiomata in diæteticis non inardua nil hujus paragraphi brevitati addere mens eſt:

Ad imbecillos tantum maximopere reſtringenda circa aëris externi injurias cautela. Ii præcipue a ſubitis aëris mutationibus caveant, caveant a frigore exceſſivo, ab apricationibus etc.

Major

Major fere cautio neceſſaria in Convaleſcentibus, præſertim a febre intermittente diuturna.

Nil magis corpori inimicum, quam refrigerium partiale in parte inſueta.

Æſtate crebrius & majore cum noxa fit refrigerium, quam hyeme, in noctibus præcipue frigidiuſculis dies exceſſive calidos excipientibus.

Non tanta quidem in corpore ſano incommoda fert transpirationis a frigore receſſio, ac infallibili calculo medici calculantes demonſtratum volunt, repetita tamen ſæpius levis menda morboſe corpus diſponere poteſt.

Qui veſtes pro temporum anni ratione mutant, magna ſibi ſæpius detrimenta inducunt, ſi nimis incauti calidiores amictus cum levioribus permutent.

§. 10.

*De Aëris circa Ægros moderamine.*

Quanti ſit momenti Aëris circa ægros moderamen, ſatis illuſtratur exemplo productorum toties, per ſolum vulgi præjudicium, ægri nimis calide fovendi, exanthematum non neceſſariorum. In putridæ proſapiæ morbis, quantum ad augendam ſuccorum animalium putrescentiam conferre poteſt aër nimis calidus conclavis clauſi, quantum inhibere idem liberior ſubinde renovatus?

Per ſe igitur patet, nec a recentiſſimis demum temporibus medicis receptum eſt, iis, in quibus fieri poteſt, ægrotantibus liberiorem aëris uſum præcipere, & eventus docet, facilius

emergere, qui in evitando aëre minus scrupulosi sunt, quam qui scrupulosiores. Inoculatoribus solenne est, Inoculatis quotidianam sub Divo ambulationem præscribere. Sed cum lecto affixi sint ægrotorum plurimi, novæ medelæ inveniendæ ad compensandum hoc, quo carere debent, beneficium.

Misera pauperum sors id infortunii sæpe secum fert, quod dum ægrotant, conclavibus inclusi sint nimis angustis, liberiori aëri non facile patentibus & facile implendis inficientibus ægrorum ipsorum & contubernalium incommodis exhalationibus; ex qua forsan causa explicabile, quod, licet intaminata Magnatum delictis, gravius tamen sæpe & malignius decumbat plebecula. In nosocomiis ad simile malum evitandum Ventilatores & ejusmodi remedia invenit vigil in hominum salutem Ingeniosorum solertia, & in quocunque casu id saltem semper instituendum, ut per fenestrarum januarumque apertionem aëris fiat renovatio. Generatim autem id tenendum de aëris moderamine, quod neque clausus esse debeat, neque vicissim æger per oppositum aëris sibi occurrentis torrentem offendatur, quæ quidem res in exanthematibus tum necessariis, tum non necessariis, magni est momenti.

De Aëris calore vel frigore non ita generatim statuendum. Multum sane interest attendere ad pristinam ægri consuetudinem. Qui sanus a leviori frigidiusculi aëris contactu diarrhoëam sibi contrahit, caute sane tractandus in morbo, in quo exanthemata vis fovere, vel promovere diaphoresin. Sed summe exacto, & scrupulosius ad thermometra composito caloris moderamine paucissimis, si quando, casibus opus erit. Facilius quoque concedendus sæpe esset ægrotantis mollitiei major caloris gradus, nisi ad eum obtinendum enervetur aër & includatur. Frigidum certe aërem efficaciter roborare persuasissimum habeo, & per vestimen-

mentorum præſidia ſe ab eo vindicare ægrum, quam evitare ſatius ſemper duco.

Corrigendi ſuffimigiis variis balſamicis corruptum in ægri vel plurium potius ægrorum contubernalium conclavi aërem, conſilia minime ſpernenda ſunt, ſi vel ſolam perpendas ignis ad aërem depurandum experimentis comprobatam efficaciam. Pavimentum lectumque aceto vel ſimilibus conſpergere, ut adverſa putredini atmoſphæra ægro concilietur, non ſine fructu erit, & in morbo putridis exhalationibus opportuno non temere negligendum, licet auxilium ſit ſaltem ſuccedaneum. Similis de conclavibus exhalationibus vegetabilium implendis ſententia, ita tamen, ut hic a narcoticis caveatur odoribus.

Operæ pretium eſt, verbo ſaltem tangere experimenta circa varias aëris factitii ſpecies inſtituta. Dantur inter has, quarum atmosphæra mirum quantum vitæ animali eſt proficua, putredini adverſa. Circa has (ut & circa aëris fixi internum uſum, non ſatis pro rei dignitate excuſſum) eſſet forſan, quod ſtudioſius inquirant Naturæ Obſervatores, quid, quantum & quomodo conferre poſſint ad levandam hominum miſeriam. Hactenus inſtituta experimenta ſpem ulterioris progreſſus nobis quidem minime præcidunt, neque tamen ejusmodi ſunt, ut multa hucusque de iis commoda deprædicare liceat.





# CAP. III.

## DE MOTU ET QUIETE.



### §. II.

*Motus Necessitas.*

Ad eruendam ex physiologicis principiis ineluctabilem motus necessitatem juvabit summum, quod motus muscularis ad promovendum sanguinis circulum habet, momentum paucis exponere. Quem latet, quantum ad hunc conferat jugis ad cor sanguinis venosi reditus? sed quid præter motum muscularem præcipuum est hujus sustendandi adminiculum; cum venæ non gaudeant propria vi propulsiva, qua ratione facilius stases oriri poterunt, quam si muscularis vis languet, utpote unica fere illi compensandæ destinata? Quis nescit, quanti sit momenti jugis in abdomine sanguinis venosi circuitus, sed si hic non adjuvetur a motu musculari, quid quæso adjuvet? cum propria his venis vis propellens æque desit ac reliquis, cum desint præterea vires ad cor determinantes, valvulæ: cum impedimento sit directio reliquis contraria, & quæ sexcentæ sunt causæ circuitus per abdomen difficilioris. Quantum respiratio ad promovendum tum sanguinis, tum reliquorum humorum circulum faciat non est, quod hic exponam, sed nec facile quem latebit, quantum motus muscularis faciat ad hanc in jugi vigore conservandam.

Stri-

Strictim addendum, quid circa motus necessitatem doceat euphoria. Primum igitur quotidianis motibus assueti perpetuos percipient fructus salutaris hujus consuetudinis & ad corporis & ad animi functiones redundantes; non facile tristem ruricolam invenies vel equitem hypochondriacum. Qui varium vitæ genus vivunt, modo quiescunt, modo se exercent, vegetiores & animo & corpore post motus tempus erunt, quam post quietis. Qui denique sedentaria vita mulctantur vel ipsi se mulctant, si contra consuetudinem motu gaudent vel intempestivo, quin & excessivo, lætos tamen semper inde fructus percipient, cum (prægresso forsan ob insuetudinem languore momentaneo) incolumitatis insolitum quendam sensum experiantur, cum infallibili mentis exhilaratione.

Superest, ut aliquot e contrario morborum species afferam, quibus mulctatos experientia demonstrat eos, qui motus beneficio abstinent. Et digestricium virium languoriis enascitur, qui sedentariæ vitæ nimis indulgent, & veri inde oriuntur infarctus vasorum abdominalium, cum sexcentis malorum horum funestis comitibus. Obesitatem & bilis vappidæ sequelas, plethoram & dispositionem ad apoplexiam inde oriri posse, luculenter a priori elucescit, & ortorum inde innumera exempla quotidiana experientia suppeditat. Ultro autem patet, quo graviora fuerint vel leviora circa motum delicta, quo magis vel minus cætera regiminis momenta contulerint ad mala augenda, ex motus defectu orta, eo & graviores esse vel leviores mulctas, & orta inde mala magis vel minus esse reparabilia.

Gravius autem & notabilius delicta ferre, qui strenuiori motus regimini antea adstricti nunc ad ignaviam se inclinant, non est, quod mireris, cum ipsa motum desideret corporis structura, nec impune mutetur consuetudo qualiscunque. Inde querelæ militum veteranorum, qui dum jam non ut antea tam

ſtrenuis adſtricti vivant laboribus, pejus inde habent, licet & caveant ſibi a patratis antea exceſſibus. Memorabile mulctati poſt reſignatum curſum tabellarii exemplum relationi æſtimatiſſimi, quem non potui non eo, quo par eſt, quo ſoleo Venerantiæ cultu in medium proferre, Profeſſoris mei Dn. D. CONSBRUCH debeo, qui eum, dum quietum magis ſibi elegit vitæ genus, incidere vidit in dirum & brevi letalem hydropem, cum antea fuiſſet ſaniſſimus.

§. 12.

*Quali motu egeat corpus.*

Cur motu egeat corpus, facile patet, quali egeat diſpiciendum. Erit autem talis, qualis ſufficiat ad corpus in muneribus ſuis obeundis adjuvandum. Non uni omnes regulæ ſunt adſtringendi, ſed id generatim verum erit, æque ſupervacuum eſſe motum athleticum, ac noxia eſt ignavia. Conſuetudini licet non tanta hic ac alibi, cum motus ſit promiſcue neceſſarius, aliqua tamen jura ſunt, & regimen motus & quietis ſemper pro conſtitutionis corporis & nutritionis ratione, ut & vice verſa, inſtituendum.

Exceſſivi illi & athletici motus non conveniunt cuivis promiſcue, & cum ſua cuivis corporis humani provinciæ diſtributa ſit virium quantitas, facile patet, non optime conſulere corpori ſuo animato, ANIMATO inquam, qui plurimam partem ad co roborandos tantum muſculos abripiunt. *Milones certe rariſſime ſunt Homeri.* Ad impune ſaltem ferendum hujusmodi motum aſſuetudo a teneris requiritur, & totius reliqui regiminis ad id momenti accommodatio. Sed hujusmodi Athletæ non multos certe invenient Imitatores; qui autem forſan lube-

rent,

rent, magis vel minus premere eorum veſtigia, viderint antea, qualia illis prognoſtica vaticinatus ſit HIPPOCRATES (t).

Sed ſat dictum contra nimium motum, cum parum in eo extremo peccetur; ſupereſt ut in eorum ſolatium aliquid proferam, qui immolare debent publicis commodis temporis ſui non exiguam partem motibus faciundis alias deſtinatam. Modo non nullus motus ſit, modo tempeſtivus, modo reliquum, quod in poteſtate habent, regimen ita moderentur, ut profuſioris motus neceſſitatem ſibi non contrahant, parcus ſed exquiſitus motus copioſioris ſed minus tempeſtivi locum egregie tenebit.

Cum qualiſcunque motus finis ſit, per muſculorum actionem ſecretorum humorum circulum adjuvare, is optimus erit motus, qui tutiſſime id præſtat & ſine omnibus ambagibus. Maxime igitur naturalis motus incolumi homini erit amiciſſimus. Erit autem talis deambulatio. Mirum, quanta vis muſcularis ad ambulandum requiritur, ſine tamen illius muſculi præternaturali diſtorſione. Qui infarctus habent diſcutiendos efficacius in equitatione remedium invenient, quibus denique major motus faciundi neceſſitas eſt, quam facultas, iis vectio in rheda ſuccedaneum qualecunque remedium ſuppeditabit.

Hæc de modis motus faciundi ordinariis, quibus ſi ſufficienter, ſi cum aliquo, neque tamen nimis ſcrupuloſe exquiſito ordine quis aſſueſcat, non facile carebit beneficiis exinde redundaturis. Cum autem aſſuetus ſubinde vividiori ſtimulo egeat, cum varietas delectet, cum curæ eſſe debeat, ne pertæſi ſiamus, tanti, ac motus eſt, ad conſervandam ſanitatem beneficii, cum in innumeris vaſculorum labyrinthis hinc inde ſtaſis

(t) Aphor. 3. Sect. I.

ſtaſis latere poſſit, ſi non diſcutiatur nocitura: habes cur laudes iis occinas, qui varias luſus ſpecies invenerunt, quibus diverſæ muſculorum actiones diverſo & modo & intentionis gradu cientur. Inde variorum luſus generum, armorum luſus, ſaltationis, variorum conorum ludorum &c. fructus eluceſcunt.

Cum & inſignes ſint reſpirationis partes ad promovendum ſanguinis circulum, cum pulmonum actio faciat ad ipſam bonam ciborum digeſtionem, ſolenne fuit jam Antiquiſſimis Medicis præcepta dare circa claram lectionem ad pulmones exercendos. Quæ quidem non incongrua eſſe, euphoria teſtatur, qualemcunque intenſiorem pulmonis motum inſequens, modo non ſit exceſſivus, modo non nimis frequens, qui graviora, præſertim in imbecillis, mala, quam tempeſtivus commoda excitabit. Hinc & ſecundarius animi ſerenitatis fructus ex riſu explicandus, ideo homo multum ridens, cæteris paribus, & animo ſanus erit & corpore.

Pauca hic addam de quibusdam conditionibus ad majorem vel minorem motus opportunitatem facientibus. Tempus quod attinet motibus faciundis deſtinatum, optimum erit inter epulas medium, pro anni temporum ratione vel matutinum vel veſpertinum, minus commodum immediate ante epulas, ſi motus præſertim largior fuerit, cum inæſtuatus ciborum emolumenta minus commoda habeat; maxime autem intempeſtivum ſtatim poſt epulas. Quod quidem aſſertum vindicat: brutorum analogia poſt paſcua quieſcentium: principia a priori, cum ea virium nervoſarum pars, quæ digerendis cibis deſtinanda fuiſſet ad motus faciendos rapitur, & reſpiratio etiam, dum impeditur per repletum ventriculum muſculorum abdominalium actio, & interceptus ſit etiam liberior diaphragmatis deſcenſus, intempeſtive ſane citatur; evidentiſſimum autem argumentum præbent incommoda iis oborta, quibus ſolennes ſunt ejusmodi exceſſus, licet conſuetudo damnoſum etiam inſtitutum magis impune

pune

pune ferre doceat. Sed & intempeſtivus motus ſatior quam nullus.

Quod terminum motus faciundi attinet, a levi ſudoris initio vel incipiente laſſitudine, ni fallor, vulgo deſumitur, nec ſic quidem male; ſed hic conſuetudo & euphoria conſulenda nec ſcrupuloſo regimini quis adſtringendus. Modus autem & faciundi motus attendendus: ſocietas, loca inviſa, mentis detentio in doctis vel triſtibus & ſ. omnia ex laſſitudine incommoda efficere poſſunt, ſine ullo alias ex motu redundaturo beneficio; cum e contrario animi diſtractio, amicum cum amico colloquium, deliciæ ex naturæ amœnitate mirum quantum augere poſſunt motus emolumenta.

## §. 13.

### *Varii corporis ſitus.*

Erectum homini ſitum præ omnibus aliis animalibus proprium eſſe, neque magni ROUSSEAU neque MOSCATI ratiunculæ evertere poterunt; ſed ideo non ſequitur, quod nimia in hoc ſitu perſeverantia noxarum plena non eſſe poſſit; quies enim eſt laborioſa, pendula ſunt per hunc ſitum viſcera abdominalia, & mirum quantum impeditur reditus ſanguinis ex artubus inferioribus, & laſſitudo ſtare diuturnum inſequens, major fere, quam poſt exercitia, facile probat, non factum eſſe hominem pro perſeverando diutius in hoc ſtatu.

Magis autem infeſtus eſt hic ſitus, ſi cum nimia rigiditate conjunctus ſit, vel præternaturali quadam membrorum diſtorſione. Dicant militum ſanitati præfecti medici, quid per militarem membrorum directionem cum armorum immobili apprehenſione nimis diu protractam in diſpoſitis præſertim ad hecticam corporibus mali eveniſſe viderint. Diætetici igitur eſt,

in omnibus corporis ſitibus multifariam præcipere, cum omnis violentiæ abſentia, varietatem.

Sedentarius ſitus, præſertim prono, ut v. c. in myopibus, corpore, maxime inimicus eſt corpori humano. Coarctata per hunc ſitum inteſtina juſtam rapiunt motui periſtaltico opportunitatem, difficilior redditur ſanguinis per abdomen circuitus, ſtaſes, affluxus humorum, plethora partialis cum innumeris horum ſequelis accedere poſſunt. Facile probant, qui in hac vita exercenda nimii ſunt, vel eſſe debent, non eſſe factam pro incolumi ſervanda hominis ſanitate. Licet enim ut v. c. in literarum cupidis non una ſaltem cauſa ſeſe exſeruerit ad funeſtum effectum producendum, ſed innumerarum forſan aliarum cauſarum confluxus eſſe poſſit, eſt tamen, quod ſingula, quæ nocere poſſe indubitanter videmus, ſigillatim proferamus, ut appareant obſcurioris Totius partes hinc inde diſtinctiores.

Hæc de ſitibus corporis ordinariis, nullam moleſtiam facientibus, niſi per exceſſivam perſeverantiam. De præternaturalibus jam generatim dictum, proſcribendos eſſe omnes, qui qualemcunque inducant membro alicui violentiam. Id ſpeciatim etiam ad genuflexiones applicari poterit, cum is ſitus minime conciliabilis ſit cum facili ſanguinis circulo, cum & in abdomine incommodum viſcerum ſitum efficiat, & lipothymiæ ſubinde iis pueris oboriantur, quos plagoſi Orbilii hujusmodi pœna plectunt paulo exceſſiva.

Sanorum in lecto decubitus Inſtinctui fere ſoli relinquendus & conſuetudini, quæ & perinde facit, in quonam latere fiat; alternatio plerumque in ſanis obtinet. Dorſo incumbere pro ſitu habetur minus ſalutari, cum varia per hunc ſitum in abdomine ligamenta, non eo, quem natura intendit modo, tendantur, & inſequantur etiam graviora inſomnia. Quisquis au-

tem

tem ſit, altior debet eſſe capitis, quam reliqui corporis ſitus, ne mora ſanguini ex capite reduci fiat, (arduum in plethoricis & ad apoplexiam diſpoſitis momentum,) altior trunci, quam pedum. Quis autem particularis capitis ſitus ſit perinde eſt ratione liberioris muci effluxus, cum ea ſit per naturæ providentiam ſinuum mucoſorum ad ſe relatio, ut, quisquis capitis ſitus ſit, unus vel alter liberiorem habeat effluxum.

Ægrorum decubitus ſemioticum potius, quam diæteticum momentum eſt, cum morbus ſit utplurimum, non medicus, qui præcipiat; id ſaltem tangendum, non tam timendam eſſe, ortam illam ex longiori decubitu ad inferiores & poſteriores partes exulcerationem, (das Durchliegen) cum utplurimum ſalutare naturæ molimen ſit, plus fructus quam moleſtiæ exhibiturum, licet negandum non ſit, frictionem harum partium a longiori decubitu occaſionalis cauſæ inſtar agere, metaſtaſes ad hæc loca allicientis.

§. 14.

*De motu ægrorum.*

Nimius ſane eſſet, qui tantum, quantum gymnaſtici inter Veteres Medici, momentum ægrorum motui tribueret: non intempeſtivo motu vires eæ ægris rapiendæ ſunt, quibus ad debellandum morbum opus habent, nec nimis ſcrupuloſa ignavia præcipienda.


Dantur utique morbi, in quibus tot virium muſcularium ægro relictum eſt, ut moderato motui impendi pars poſſit. Febrientes omni motu interdicere, variolis bonæ notæ, inſitis præcipue laborantibus id beneficii negare, æque crudele ac inſanum eſſet. Hypochondriaco malo vel magno gradu affectis ſummum ſæpe remedium in motu eſt, cachecticos omnis generis motus efficacius quandoque, quam Martialium uſus roborabit.

 Dan-

Dantur viciſſim morbi, in quibus abſoluta eſt ob vis vitalis defectum motus impoſſibilitas. Cum vero motus muſcularis ad expediendum ſanguinis circulum neceſſitas perſpecta fuerit ſummis Viris, ſuccedanea auxilia quærebant, inveniſſe rati in variis corporis frictionibus. Quas quidem non ſine fructu eſſe facile credo, eum tamen, quem Bœrhaaviana ſchola vult, quæ in omnibus morbis, ceu herculeum deprædicat medicamentum, fructum præſtare, nemo erit, qui mihi perſuadeat. Sed varius etiam datur morborum cenſus, in quibus omnis motus ægris interdicendus, ne ipſa horum natura exaſperetur; ſic in hæmorrhagiis uteri validioribus, vomitu cruento, hæmoptyſi, ſic phthiſicis conſummatis, in ſtatu cordis & vaſorum magnorum aneuryſmatico ſcrupuloſa requies præcipienda, & vel multa & alta ſermocinatio eſt interdicenda.

Quidquid autem ſit, id generatim de motu ægrorum dictum ſit. In acutis, brevi ad mortem vel ſalutem properantibus morbis, motus beneficio tantiſper carere debebunt ægri, in chronicis autem & in ſtatu metaſyncritico eo ſatius eſt remedium, modo prudenter inſtituatur.


Cautelæ utique in imbecillis multo plures, ac ſanis inſtituendæ. Juvabit egregie vel ſola digeſtionis labe peccantibus motus tempeſtivus ad roborandam per ipſas vires muſculares digeſtricem machinam, potens erit ad inchoantes infarctus tollendos, adultorum incommoda levanda remedium motus, & pulmonis labe affectis non inidoneum erit tempeſtivo & moderato motu ſanguinis commeatum per pulmones allevare, ſed his omnibus & tempus & terminus & conditiones motuum faciundorum ſolicite eligenda; juvabit ut plurimum abruptus motus, ſed eo crebrius inſtitutus.



CAP.

# Cap. IV.

## DE ANIMI PATHEMATIBUS.



Quid intermedium illud Ens ſit, ſimplex cum compoſito nectens, corpus cum non corporeo, qua ratione fieri poſſit, & quomodo actu contingat, ut commercium animus cum corpore alat, hujus jam nunc loci non eſt diſquirere. Sufficiat mihi paucis indigitare, quam arctum ſit illud commercium, & ad tuendam ſanitatem quædam inde deducere corollaria. Diætetica jam, dum Diætetici extiterunt, regula eſt, poſt epulas ſtudiis non incumbendum eſſe, lucubrandum non poſt cœnam, ſed poſt concoctionem. Cephalalgia mulctantur meditabundi, vel aliorum exceſſuum immunes, & depravata digeſtione. Saniſſimi homines ſemper ſunt maxime hilares, & commune nomen pro triſti & infarctibus mulctato abdominalibus. Cur ex tutiſſimis inſtantis morbi ſignis eſt moroſitas ſpontanea? Quoties deſperabundam de æterna ſalute animam vomitorium efficacius erexit, quam theologica ſolatia? cur anxietas æquivocæ eſt ſignificationis inter ſtatum animi & corporis deſignandum? Die Helfte unſrer **Vernunft**, inquit Triſtram Shandi, iſt **Sinn**. Den Himmel ſelbſt denken wir uns ſo oder ſo, nachdem wir gut oder ſchlecht verdauen. Quid hæc omnia ſi non arctiſſimum & vere ſororium inter nobilem hominis partem & nobiliorem intercedere vinculum probant? Sed quid inde deducendum ſit ad ſanitatis præſidia ex animi ſtatu petenda, agedum videbo.

## §. 15.

### *De salutari pathematum influxu.*

Ignavia, quam graves corpori mulctas imponat, supra expositum est. Corporis autem ignavia ab ignavo animi statu & vicissim pendet. Patet igitur & inde, quid faciant ad sanitatem tuendam animi pathemata. Cum autem status animi magis vel minus activus plurimum ab arbitrio & consuetudine pendeat, primaria jam & prima circa animum occupandum diætetica regula inde per se elucet. Sed cum non quævis animi mutatio perinde salutaris sit, videndum, quales bonis gaudeant successibus.

Diversorum, quos in corpus edunt, animi pathematum effectuum, observatio non difficilis est cuivis ad se aliosque attento. Generalia, sed vera & huc sufficientia HALLERUS (u) exposuit, ex quibus computatis colligimus, eas corpori salutares esse animi affectiones, quas Philosophi uno benevolorum nomine comprehendunt. Amorem igitur & lætitiam & spem præconari Diætetici æque est ac Theologi, præconium æque ex considerata organica hominis structura, ac ex philosophica Universi synopsi redundaturum.

Generatim autem verum est, sanissimos homines esse & maxime longævos, quibus vita fluit, vel nullis affectibus fortioribus turbata, vel iis saltem interpolata, qui ad benevolentiæ genus pertinent, & si quid verum, saltem id verissimum, quod vir legendus, non laudandus, STERNE (v) profert de joci lætitiæ-

(u) Primæ Lineæ Physiologiæ. Cap. 17. §. 565.

(v) Ich bringe mein Leben in beständiger Bemühung zu, mich gegen die kränklichen Zufälle einer schlechten Gesundheit, und andre Uebel des Lebens

titiæque ad apponendum vitæ hujus fragmentis momentum efficacia. Evidens ſemper erit noxius moroſitatis in corpus influxus, ſed ſemper ab evitationis impoſſibilitate petetur excuſatiuncula. Æquorum autem judicum ſit æſtimare, quantum veritatis pſychologicæ lateat in illo Philoſophi cujusdam effato, " æque parere hominis arbitrio moroſitatem, ac corpoream ignaviam, ignaviæ enim genus eſſe, cui natura noſtra nimis facile inhiet, cum tamen, modo viri ſimus, ad nos vel ſemel colligendos vigeat laboris ſucceſſus & delectet agilitas. " Et qui effatum hoc verum invenient a priori, confirmatumque per experientiam, auream ſibi inde diæteticam regulam carpant, in quovis obverſante objecto majori aviditate ea arripiendi, per quæ lætitiæ novus cumulus accedere poſſit, & minus obſtinate ea ruminandi, quæ adverſa nobis objecit fortuna. Conſuetudinem certe ſoli corpori imperare poſſe, animæ non item, glorioſum forſan pro anima thema foret, mihi autem prorſus improbabile. (w)

Sed & benevolas animi mutationes, ſi modum excedant, noxias, & evidenter noxias fieri obſervatur. Nimium gaudium occidiſſe non ſolitaria docuit experientia, ex amore quot non inſaniverunt? Cum vero, ſi & incredibile videatur, aliter animum per conſuetudinem affici poſſe, id tamen negari nequeat in affectuum moderamen quam plurimum poſſe, multus ſane, qui

---

Lebens — mit Scherz — einzuzäumen. Denn ich bin feſt überzeugt, daß es, ſo oft der Menſch lächelt, und um ſo viel mehr, wenn er lacht, dieſes Fragment des Lebens um etwas vergröſert. Sterne in der Zueignungsſchrift zu Triſtram Shandis Leben und Meinungen.

(w) Lectu dignum eſt, quod de motivis ad animum exhilarandum ex quovis obvio objecto depromendis expoſuit *Engel*, Philoſoph für die Welt. I. Teil von der Beſtimmung zum Tode —

qui non per sua ipsius pathemata autochir velit evadere, in hoc momento esse debebit.

Cum autem omnes impressiones fortiora & magis permanentia in tenera ætate vestigia relinquant, habent cur toti in eo sint prudentes & philosophici Educatores, ut eo assuescant juvenem alumni animum, ut in obviis sibi objectis lætiora discat decerpere, ut habitum inducat lætiora objecta præ tristioribus arripiendi, eoque iis imbuatur animi affectibus, qui ad benevolentiæ genus pertinent. Soliciti sint iidem in moderanda affectuum Alumni vehementia, quo facto non solum pro animi æquanimitate ac felicitate, sed & pro stabiliori ejusdem sanitate firmiora ponent fundamenta.

§. 16.

*De funesto pathematum influxu.*

Dixi, quæ bona ex animo sibi constante & benevolo in corpus redundent; superest, ut & mala adducam ex opposita mentis constitutione oriunda. Iræ, mœstitiæ, metus, terroris &c. noxios in corpus influxus HALLERUS l. c. exposuit; liceat mihi, quæ de diversis eorum agendi modis sentiam, brevi exponere, ita tamen, ut nemo memet me in immensum animi pathematum oceanum immersurum credat, cum mens sit, generalissima saltem proponere & exemplis hinc inde illustrare.

Subitaneas & evidentes in corpore noxas, dirosque morbos producere posse graviores animi concussiones quascunque, quis inficiabitur? Quot non icteri ab ira vehementi, quot paralyses (quandoque permanentes) a terrore ortæ sunt? Sic & jam superius attigi, benevolos quoque affectus, si improvisi, si nimii sint, noxis stipatos esse posse notabilibus. Hæc mihi analogi quid habere videntur cum acutis morbis, aut brevi præterunt,

aut

aut brevi insigniter nocent; sic vehementi iræ succedere vomitus biliosus potest, & corporis æquilibrium restitui, terrorem magnum mors insequi, aut epilepsia.

Minus evidentia, essentialia tamen & ad vim nervosam frangendam mirum quantum efficacia damna habent tranquillæ magis animi mutationes, sed ejus generis, ut per suam naturam conjunctæ sint cum ideis tædiosis, & diu continuentur, quin ipsa mora crescant. Repudiati amoris tædium, quin vel mœror de amicitia nullis nisibus aucupanda, is animi heteroclitus status, quem non alio melius quam germanico nomine Die Verlegenheit appellarem, & similia, si diu protrahantur, multo notabiliores in ipsis vitæ staminibus relinquent noxas, multo evidentius vim nervosam frangent, & si ejusmodi corpus in morbum incidat, multo minus perfectis crisibus patebit, multo certius igitur ex his malum, quam ex fortioribus animi concussionibus, quarum sæpe numero vel lætæ esse possunt sequelæ, & quæ non alios fere effectus exserunt, quam excessivi corporis motus, intempestivos pro eo momento, sed cum eo majori euphoria insecutura.

Sed certissima in corpus mala, & maxime subitanea ex iis animi affectibus oriuntur, qui per se ad lentorum, si ita dicere licet, tædiosorum genus pertinent, sed subito ad magnum evehuntur vehementiæ gradum. Unicum loco omnium exemplum nostalgia præbebit, quanta sæpe is animi status mala conciliavit, quos morbos, sæpe internecinos? Hujusmodi affectus non melius, quam malignis morbis comparaverim, inevitabilem fere semper, citissimam sæpe, perniciem, sed subdolam afferentibus.

Non potest non varii successus esse malorum horum omnium medela. Graviores illæ animæ concussiones, si feliciter

cadant, ſuam ſibi ipſis medelam afferunt, & ſi quæ reliquiæ ſunt, tempus, inviſi objecti abſentia, ſæpe animi ſaltem ad ſe reverſio tollent. In lentis autem ex tædioſorum genere affectibus longe difficillima medela. Exoptati objecti poſſeſſio malum, ſæpe indomabile, ex amore ægrotantibus quandoque ſuſtulit. Corporea medicina tantum abeſt, ut animi ſtatum perverſum tollat, ut hic potius omnem medicinam, corporeis, quæ non adeſſe non poterunt, malis factam eludat. Si quæ cura, pſychologica tentanda, per animi ad hilariora revulſionem, objectorum omnium, quæ tædioſam ideam movere poſſent, remotionem &c. & ſi hæc ſuccedat, tum demum cura corpori facta ſuccedet, prioremque ſtabiliet. Si quis autem eo animi ſtatu laboret, ut nemini, quid patiatur, confiteri poſſit, & omnia ſua ſecum mala portet, quales eſſe poſſunt modo dictæ Verlegenheiten, is nullo modo medicabilis, niſi per ſuam ipſius reſipiſcentiam. Ridebit forſan, qui ejusmodi caſus non expertus fuit, vel expertos vidit. Felix riſor & invidendus!

Sed ne hic extra oleas vagari videar, ſtrictim addam in iis animi ſtatibus, in quibus tædioſus aliquis affectus ſubito ad magnam quandam evehatur vehementiam, raro multum medico licere, pſychologo non multo plura, niſi confeſtim occaſionem, & cum ſumma ſolertia, ſummaque prudentia arripiat, ſi retineamus vel id, quod evidentiſſimum cenſui, noſtalgiæ exemplum. De illis animi affectibus, qui morbum corporis a corporea cauſa ortum inſequuntur, hic ſermonem non eſſe, ex eo facile patet, quod ſublata morboſa cauſa & morbus tollatur & animi affectus, morbum ceu ſymptoma inſecutus.

De inſequentibus nimios affectus inſaniis æque minus opportunum eſſet hic multa diſſerere. Medici hic plerumque auxilii major eſt efficacia, quam philoſophici, cum plerumque ſymptomaticæ ſint ex malis corporeis animi ſtatum perverſum concomi-

comitantibus, & cum rarius, ac Vulgus perhibet, deuteropathicæ ſint, multo ſæpius curam admittent, modo promta ſit & maſcula.

Quæ Educatores hinc trahere corollaria poſſint ultro patet, partim ſuperius ſunt indigitata. Arduum autem pro puellarum inprimis educatione momentum eſt, a librornm, in quibus omnia in extremis depicta ſunt animi pathemata, eas arcere lectione, dum confirmatæ per conſtitutam ætatem ſint, quot enim non hyſteriis anſam præbuiſſe fabularum romanenſium præmaturam lectionem experientia probavit?

## §. 17.

### *An & quid in ægris efficiant animi pathemata.*

Non poteris non evinci per effectus ab HALLERO notatos (cum ex innumerarum obſervationum maxime indubiis, maturo ſane judicio, redundaverint effata *Halleriana*, cur Hunc præ cæteris atteſter, facilis patet ratio) quam arduum ſit in ægro momentum ad ciendas vel tardandas excretiones tam efficax, animi pathematum influxus a Veteribus paſſim agnitus; & innumera, quæ ubique occurrunt, illuſtria exempla, nullum ſane de aſſerti veritate dubium reiinquent.

Duplici autem hic reſpectu opus erit. Aut inſignem partem vel omnia ad morbum conſtituendum animi pathemata contulerunt aut non contulerunt. Priori caſu jam ſuperius expoſitum, non poſſe ſuccedere morbi medelam, niſi per pſychologica auxilia animi perverſo ſtatui ſuccurratur, quin ſi debilitatem digeſtricis machinæ aut inchoantes ſaltem infarctus per maxime exquiſitam roborantium & reſolventium penum tollere ſtudeas, ſucceſſus non reſpondebit, niſi & cauſam harum productricem tollere tibi contigerit, continuatæ enim cauſæ continuatus erit

 eſſe-

effectus. Hinc v. c. in atrabilariis malum a mœrore domeſtico, vel ex publicis negotiis ſibi contrahentibus melior ſuccedet cura, ſi ad balnea mittes remota, per oblationem variorum & peregrinorum objectorum, per obliterationem priſtinarum idearum, animo illudentium, quam ſi domi eadem, quin efficaciora remedia adhibueris. Si vero & ad morbum conſtituendum nihil contulerint animi pathemata, conferre tamen poterunt ad eum vel augendum vel frangendum. Hinc & in his morbis, licet non tanta, tamen aliqua ad illa attentio habenda.

Omnibus igitur in morbis id tentandum, ut exhilaretur, vel diſtrahatur ſaltem ægri animus, & ſenſus ex morbi præſentia, quantum fieri poteſt obfuſcetur. Gravius contagioſo morbo decumbere meticuloſos experientia confirmat, & levius emergere ex qualicunque morbo, qui majorem habent ſalutis confidentiam. Prudentis igitur medici ſemper eſt, dum non deſperatæ res ſint, ægri ſpem fovere, & ſi ipſe de bono morbi ſucceſſu deſperet, non protinus id ægro, non præparato, ſed per ambages indicare. Pro ægris facti ſunt ludi ad occupandam ratione neque corpori neque animo moleſta, mentem, ac pellendum tædium. Prudens amicorum converſatio æque multa ſæpe facit ad celerius recuperandam ægri ſanitatem, in chronicis præcipue morbis, ac contraria ad tardandam.


Singulari etiam in maniacis tractandis prudentia opus, ut nec inſidioſe maligni hi miſeri fallant, cum magno ipſorum detrimento, nimis liberales noſocomos, nec viciſſim per intempeſtivam Adſtantium auſteritatem in ſtuporem mania vertatur & hebetudinem nullo modo corrigibilem.



CAP.

# Cap. V.

## DE SOMNO ET VIGILIA.



§. 18.

*Somni necessitas.*

Physiologorum facile princeps HALLERUS, dum ea omnia collegisset, quæ, in statu tum naturali tum a naturæ tramite devio, somno inducendo idonea sunt, invenit: non posse demum causam latere, nisi in difficiliori spirituum nerveorum per cerebrum motu. Qualiscunque autem in præternaturali statu hujus difficilioris motus causa sit, inferius rimanda, non erit secundum naturam, nisi simplex horum spirituum defectus. Eas igitur HALLERO duce conditiones delibare, quæ defectum hunc conciliare debent, præsentis jam instituti esse censeo, ut erui inde possit necessitas somni inelutabilis. (x)

Pone hominem vel maxime ignavum, qui toto fere die iners sedeat, quanta vel ad sedendum vis muscularis requiritur? Ad corpus enim in qualicunque situ vel quietum tenendum semper requiritur plurimum musculorum actio, aliorum antagonismus. Sed pone agiliorem, qui plures musculos voluntarios exercet, pone qui plurimos, qui velocissime, qui frequentissime,



(x) Trahendum huc Caput XVII. Prim. Lin. Physiol. a §. inde 577.

tissime, quanta non requiritur vis nervosa ad musculos in actionibus suis sustentandos, quanta (quid enim impedit verosimillimum hic pro vero assumere) quanta igitur spirituum nerveorum copia?

Interea & vitales omnes actiones succedunt, & eo alacrius succedunt, quo agilior homo fuerit in motu musculari peragendo. En nova dispendii spirituum nervosorum occasio.

Adde quid per multiplex sensuum satellitium, cum totus orbis perceptibilis homini vigili pateat, actionum nervosarum fiat, adde hominis naturam nunquam ad objecta quævis sibi obvia indifferentem, quid affectuum inde non oritur, quam latus campus virium nervosarum exserendarum? Et cum impossibile sit, per animalis fabricæ œconomiam, ut tanta, quanta consumitur spirituum nervosorum, elaboratissimi utpote secretorum liquidi, copia tam celeriter resarciatur, non potest non demum debilitas oriri inevitabilis, non possunt amplius pares esse vires nervosæ omnibus suis muneribus obeundis.

Satis inde patet, quod remedium requireretur, quo fieret, ut stante hominis incolumitate minus aboleatur virium nervosarum, plus pro portione resarciatur. Debebant autem actiones vitales non interrupto modo procedere, cum sine respiratione, sine cordis actione vita impossibilis sit, sed in motuum voluntariorum in sensuum satellitio requies esse poterat, stantibus horum sanis organis. Horum igitur actiones interrumpendas tantisper voluit Creator, ut eo alacriores posthac essent ad easdem renovandas, cum, in magnæ consumendorum spirituum nervosorum occasionis absentia, succederet tamen eorundem, ut reliquorum humorum, secretio.

Hæc igitur causa & necessitas somni. Patet autem & exinde proportionalis pro diversa hominis interdiu agilitate somni

ſomni neceſſitas; patet, cur æſtum inſequatur ad ſomnum propenſio &c. ſed videamus, an & aliunde eluceſcere poſſit ſumma ſomni neceſſitas, egregia ex illo redundatura beneficia.

Non facile evidentiora pro ſomni neceſſitate argumenta proferes, quam, quæ & in animo & in corpore oritur poſt exactum vigiliarum ſolitum ſtadium, ad quietem propenſionem, & incommoda nimias vigilias inſequentia. Teſtatur experientia mirum quantum vires nervoſas, præſertim digeſtrices, frangi, ſanguini ardorem febrilem incuti, & omnes humores acrimoniam quandam inducere. Vigilias porro nimias macor inſequitur & animi moroſitas, quin benevolentiſſimo antea animo præditos totos quantos per vigilias nimias mutatos teſtatur ZIMMERMANN. (y) Et ſi ultra omnem modum trahuntur vigiliæ, quæ non inſequuntur deliria, quæ non huc trahendæ de Anachoretis eorumque apparitionibus hiſtoriæ, qui inter alia veſana pietatis exercitia hoc minime impune tulerunt.

Qua autem ratione natura ſomni deſiderium exprimat, per muſcularis primo vis languorem, tum per ſenſuum ineptitudinem & meditandi impotentiam, & quis inſenſibilis ſit a dormituritionis initio ad ſomnum capiendum tranſitus, tam graphice, &, vera dico, tam poëtice depinxit HALLERUS, ut eo prægreſſo ſimile quid tentare, perinde eſſet, ac ſi, ut cum Triſtram Shandi loquar, nanus ipſe afferret perticam ad capiendam de ſui exilitate menſuram.

### §. 19.

*Somni terminus & ſequelæ.*

Somni neceſſitatem, tum ex phyſiologicis principiis, tum ex incommodis nimias vigilias inſequentibus deducendam ten-

---

(y) Von der Erfarung, 4. Buch, 9. Kap.

tentavi. Cum vero teste HIPPOCRATE (z) somnus nimis protractus æque morbus sit ac vigiliæ exorbitantes, cum experientia testetur, omnes corporis humani partes minus agiles inde reddi, cum solidas inde partes laxari, fluidas lentescere observemus, cum circulus sanguinis nimis diu stimulis careat, ideoque in iis præcipue partibus stagnet, in quibus secundum ordinarium naturæ tramitem circuitus lentior est, vel reditus difficilior, ut in capite, abdomine, cum per somnum longum nimis langueant secretiones, & inde molesta obesitas, cum impotentia muneribus animi obeundis, & status animi obliviosus, hebes stupidusque beneficii hujus abusum insequi possent, & insequentes frequens testetur experientia: est sane, cur rimemur, quales somno limites sint, quod vigiliarum redeuntium statum tempus.

Ponamus igitur hominem perfecta quiete defungentem. Nulla extus turbant objecta, sensus clausi mundi perceptibilis nullam persentiunt ideam, nulla animi pathemata, cum nullum ea proliciens objectum adsit, excitantur, abest omnis motus voluntarius, quid ergo hos sensus quiescentes quid hunc motum excitabit? Objecta externa exclusa sunt, ponantur ea omnia somno persungendo aptissima; ab alia id causa exspectandum, latente in ipsa ejus interiori œconomia. Multiplex scilicet abest consumendorum spirituum nervosorum occasio, affectus, sensus, motus voluntarii, & ea sola superest, quæ ad liberaliter resarciendam eorum copiam facit, secretiones humorum animalium, his enim vigentibus viget & spirituum nervosorum secretio. Licet autem hæc non tam promta sit in statu dormientium, quam vigili, sufficit tamen, cum & respirationis & circuli sanguinis minor agilitas sit, ad copiosam eorum restitutionem, & cum somnum induxerit collapsus canaliculorum nerveorum a spirituum defecta ortus, hi ipsi jam distenduntur, & cessat somni causa, & effectus cessabit, quum

(z) Aphor. 71. Sect. VII. & Aphor. 3. Sect. II.

quum primum vel externum objectum vel & vividior animæ repræſentatio qualiscunque ſtimuli loco agit.

Hic ergo naturalis ſomni terminus, neque interruptus ad hoc uſque momentum, neque ulterius per hominis ignaviam protractus, ſemper refectum hominem ſiſtet, & obeundis ſenſuum ſatellitiis, operibusque diurnis aptum, & vegetum ſatis efficiet, licet non ut veſperi febriliter quaſi auctum ſanguinis & reliquorum humorum circulum.

Facile autem patet, limitem non in omnibus, neque ætatibus, neque temperamentis &c. ejusdem extenſionis eſſe debere. Et defuncti per antegreſſum diem labores majorem vel minorem ſecum ferent ſomni neceſſitatem. Temperamenta magis vivida plus laboris, pathematum &c. ſibi contrahent, pluri igitur ſomno indigebunt. Ætates in adoleſcendo conſtitutæ non ferre poſſunt citas excretiones, hæ igitur per longiorem ſomnum tardandæ. Seniores, cum & in vigili ſtatu tardiores ſint eorum ſecretiores, non habent, cur per longiorem ſomnum frena illis inhibeant. Medium quendam terminum pro conſtituta vel huic propiori ætate intra 6. vel 7. horas vulgo ponunt; conſuetudo hinc inde 5. ſufficientes faciet, nec ex ſomno 8. horarum damnum aſſueto percipietur. Sed prudentis eſt, nulli tempori ſe nimis rigoroſe adſtringere, ne inſuetudinis neceſſitas lædat. Qui infarctibus mulctatur, aut diſpoſitus eſt ad eos ſibi conciliandos, habet cur a longiori ſomno caveat, eodem jure, quo ad motus faciendos attentior eſſe debet. Cur hyeme longiores ſomni ferantur, ego externis potius, quæ diſponunt objectis, quam intrinſecæ corporis indigentiæ tribuerim, licet & ad hybernos forſan morbos faciant. Sed hæc exemplorum loco.

Conſuetudini ergo nec hic jus ſuum negandum, ſed cavendum in extremitatibus eſt. Propenſiſſimi erunt ad ſomnum

trahendum ſummo gradu phlegmatici, ſed iidem minime opus habent longiori ſomno ob tardiorem vel in vigili ſtatu humorum circulum. Hi igitur ſummo ſtudio naturæ ſuæ vim inhibeant. Summe cholerici maximeque vividi, qui ob muſculorum agilitatem, ob animi ad affectus ciendos inflammabilitatem longiori ſomno indigerent ad juſtam ſpirituum nervoſorum copiam reſarciendam, ob ipſum corporis animique vigorem minus idonei erunt ſomno capiendo, & quem capiunt, quum ſæpiſſime per vivida inſomnia interrumperetur, raro eum, quem ſanus fructum largietur. Hi igitur ſcrupuloſe caveant ſibi ab omnibus, quæ quietem turbare nocturnam poſſunt, cœna largiori, veſpertino inebriantium potu, motibus animi & corporis veſpertinis. Medio hominum ſtatui affatim natura conſuluit, cum eo gradu, quo magis vel minus cita ſunt ſpirituum nervoſorum diſpendia, eodem gradu & magis vel minus vegetæ eorundem reparationes, ſic impetuoſis indemnem fecit a longiori ſomno abhorreſcentiam Natura, ignavioribus nimiam ad trahendum illum propenſionem.

## §. 20.

### *Somnus præternaturalis.*

Sub ſomni præternaturalis nomine comprehendo qualemcunque ſomni ſpeciem a naturali declinantem, ſive nimius ſit, ſive parcus interruptuſve. Nimiam illam ad ſomnum propenſionem, quæ in ſola hominis ignavia cauſam habet, dixi ſummo ſtudio ſuperandam eſſe. Sed dantur aliæ cauſæ, quæ juſto protractionem ſomnum efficiunt, virium quippe proſtratio a cujusvis v. c. ſecreti humoris vel ſanguinis vel ſeminis diſpendio, quodſi ſomnus inſequatur paulo largior, amicum corpori tali naturæ beneficium eſt, cui ſi, ut par eſt, indulgeatur, efficacius

us corpus inde reficietur, quam a qualicunque roborantium apparatu, vel confortantium, ſi Diis placet, farragine.

Similes effectus habere poſſunt medicamenta fortiter evacuantia, quæ ſi evacuatorio munere bene functa fuere, laudanda natura, quæ ad reſarciendum detractum homini robur ſomnum inducit, ultra naturalis limites luxuriantem, unde egregie HIPPOCRATES (a), ut validiſſimum contra hypercatharſin, ab Elleboro metuendam, remedium ſomnum deprædicat.

Aliæ cauſæ, quæ ſomnnm nimium, vel inſolitam ſaltem (nam diverſi dantur gradus) ad ſomnum propenſionem efficiunt, redeunt vel ad ejusmodi, quæ a capite ſanguinem derivant, pediluvia refrigerantia vel ſtimulantia, cephalalgicis vel ob partialem capitis plethoram ſomno orbis probabile remedium; vel ejusmodi, quæ dum congeſtionem ſanguinis ad caput efficiant, cerebri compreſſioni anſam præbent, quæ claſſis ex ſanorum diæta plane proſcribenda; & niſi efficaciſſimum contineret demulcendis ægrorum miſeriis opium, & ægris interdicenda eſſet. Supereſt & alia cauſa, quæ ſanguinis a capite reditum moratur, quæ, niſi organica ſit, ideoque immedicabilis, in obeſitate fere latebit nec admittit niſi unicum ſed id efficaciſſimum remedium, ſtrenuos & animi & corporis labores.

De aliis cauſis ſopores in malignis præcipue febribus inducentibus, nec alio modo, niſi per curam primitivo male adhibitam tollendis, hic locus non eſt diſſerere. Addam ſtrictim & per mechanicas cauſas, licet multo rarius ac vulgus perhibet, ſomnum induci præternaturalem poſſe non medicabilem, cum tollendis cauſis nemo par ſit, quis enim ſanabit calculos, oſteogenias, fungos &c. in interioribus capitis penetralibus?

 Super-

(a) Aphor. 15. Sect. IV.

Supereſt ut & de iis pauca dicam, quæ ſomno interrumpendo vel plane tollendo paria ſunt, nam & hæc utplurimum gradu ſaltem differunt. Interrumpere quin tollere plane ſomnum poteſt vel ſola a priſtina conſuetudine leviuſcula aberratio, ſi lecto inſolito incumbas, ſi tempore non ſtato, ſi circa caloris moderamen mutatio adeſt &c. Cum vero conſuetudo per conſuetudinem vinci poſſit, & interruptum ſomnum ut plurimum languor per omnem poſterum diem inſequatur & munerum obeundorum impotentia: Diætetici eſt præcipere, ne quis nimis rigoroſo regimini aſſueſcat, ut ne inſuetudinis pœnas luat ſæpe inevitabilis. Sic prudentis eſt, non eadem ſemper hora lectum petere, eadem relinquere, ne coactum deſerere hunc ordinem ſomnus vitet, vitet virium refectio.

Levia ſunt, quæ interruptum vel ſublatum leviuſcula ejusmodi de cauſa ſomnum inſequuntur incommoda, per unius ſæpe noctis requiem reſarcienda; ſed graviores ſubeſſe cauſæ poſſunt ſomnum arcentes. Curæ graves, meditationes profundæ, quæ non obſtant ſolum reſtaurando ſpirituum nervoſorum defectui, ſed & eam, quæ reſidua eſt vim nervoſam frangunt; dolores corporis validi, qui ſomnum ſæpe ad cienda uſque deliria arcent; ideæ prævalidæ, laſcivæ &c. Hæc partim non tollenda, partim pſychologicis, partim medicis auxiliis parent, partim & per ſola externa ſubſidia ſummoveri poterunt.

Sed prohibent vel interrumpunt ſæpe ſomnum, quæ accelerant in dato tempore ſpirituum nervoſorum ſecretionem. Hinc qui aromatibus nimis ſe condiunt, ſuæ adſcribant culpæ, ſi ſomno deſtituantur, ſed nec impune deſtituentur, ſi ſæpius in idem vitium incurrant, cum a ſani hominis diæta aliena ſint ejusmodi ſtimulantia, & nimium robur ſemper inſequatur nimius languor. Minus impune ferent, qui per ſuam ipſorum naturam fervidi, quam qui aculeis ad vivendum ſunt ſtimulandi. Sed viciſſim

ejus-

ejusmodi aromatica beneficii loco erunt iis, quibus insuetis vigilandi necessitas incumbit, non facile irriti.


Alia interrumpendi somni causa, & generatim somni non sani signum sunt insomnia nimis vivida, voluntariarum quarundam actionum exercitia, loquelæ dormientium, ambulationes nocturnæ, quæ in morbis venturorum deliriorum fere prodromi sunt, in sano autem statu de nimis vivida phantasia testantur, & utique, si cum aliqua contentione fiant, detrahere poterunt de fructu ex somno sperando. Medela noctambulis quandoque per subitas alterationes facta: pro vividis autem insomniis non datur aut id unicum remedium, quod in abstinentia ab omnibus iis, quæ hominem, præsertim vespertino tempore exæstuare possunt, fundatur.

Ægris sæpe somnus præripitur ob inevitabiles causæ morbosæ effectus, per ipsius tum morbosæ causæ sublationem restituendus, multos autem somnus fugit, non alia causa, nisi quod, per totum diem lecto affixi, motu priventur, priventur objectorum varietate, & ideo, indifferentes magis ad obversantes sibi solitas rerum scenas, priventnr & animi pathematibus. Continget igitur illis, ut cum minor consumatur spirituum nervosorum copia, minus etiam eorundem resarciendorum desiderium natura exprimat. His si somnum inducere velis, poteris sæpe per diurnam ægroti occupationem, & ludis, amicorum colloquiis paulo serioribus, leviori etiam, quantum fieri potest, corporis motu (viribus enim fracti leviuscula de causa lassantur) subinde etiam per remedium supra dictum, pediluvia, sanguinem a capite derivantia, collapsuique inde nerveorum canaliculorum faventia. Reliqua quæ de ægrorum somno, & faciliori eorundem vel difficiliori expergefactione dici possent, semiotici potius fori sunt, quam diætetici.



# CAP. VI.

## DE EXCRETIS ET RETENTIS.



Qui omnium hactenus expofitorum momentorum, ad excretiones vel nimium fovendas vel viciffim arcendas, influxum fufim & pro rei dignitate exponendum fufciperet, volumen fcripturus effet fexcenties fuperans totius hujus Differtationis moleculam. Sufficere igitur mihi debebit, paucos exemplorum flofculos carpere. Et primum cum excretionum conditio non poffit non pendere a ftatu fecretionum, fecerni autem nil poffit, nifi quod a prima coctione in fecundam, a fecunda in tertiam venerit: facile patet, ingeftorum qualitatem, quantitatem & conditiones mirum quantum ad excretionum modum facere debere, cum mirifice ab his prima coctio pendeat. Quid potuum ftimuli, copia ad humores magis vel minus diluendos, ideoque ad excretiones ciendas vel tardandas non conferre non poffunt? Aër quantum habet imperium in cutis colatorium, quantum infpiratus in fanguificationem? Per motum circulus fanguinis fovetur, ideoque & fecretiones vigent, & per ultroneam confequentiam & excretiones. Animi pathemata quantam tyrannidem exercent in nervos fecretionibus præfectos & excretionibus? Somni effectus in fecretionum vel languorem vel vigorem vidimus, & ut fecretiones vigent, ita fane & cæteris paribus excretiones. Sed quid jam de fingulis excretionum modis diætetice monendum fit, agedum videbo.

§. 21.

§. II.

*De nimiis & intempestivis excretionibus.*

Ad excernenda e corpore, quorum vel nimiæ excretiones vel nimiæ retentiones cum damnis junctæ esse possunt, pertinent: perspiratio, urina, saliva & mucus, fæces, semen, menstrua, lochia, lac, & quidquid metastasium est ad cutem effluentium, de quibus omnibus, quæ ad forum diæteticum pertinere videbuntur strictim proponam, sic quidem ut primum perpendam, quomodo nimia in his natura esse possit, juncturus postea damna ex nimia harum parsimonia oriunda.

De perspirationis nimia ubertate, vel quod idem est, de sudore visibili pauca sunt quæ moneri diætetice possunt. Scitur perspirationem in sudorem mutari, quoties vel vehementiam quandam assecutus calor, vel validum corporis exercitium circulum ultra naturalem rythmum auxit; & per sudorem & majorem aquæ copiam & alcalini volatilis particulas avolare, ab ipsa sanguinis crasi detritas, quæ non per temperatam magis perspirationem. Sed nec validum ideo exercitium extimescendum nec tantopere æstus accusandus, languor quidem utrumque insequi, sed & particulæ sanguini molestæ ejici possunt, & multa sunt præterea vel validioris exercitii beneficia. Nec igitur, si adest, sudor supprimendus, nec sine necessitate proliciendus est, & transpiratio non excedens, modo libera, semper amicior corporis naturæ, quam validi sudores; exercitium igitur ad leve sudoris initium protractum, sed crebrius potius institutum, satius est, quam minus frequens, post quod vero corpus sudoribus permadescit. Et cum per nimium sudorem & multæ partes frugi ex sanguine avolare possent, habes, cur moneas convalescentem, ne nimis sudoribus indulgeat, refectionem post morbum sperandam mirum quantum morantibus. De ipsis ægro-

grorum, & phthisicorum præsertim sudoribus nimiis, colliquativis, de sudoribus partialibus &c. hujus loci non est differere.

Aliud depurandi sanguinis colatorium urina est, quæ solidiores transmittit particulas, quam perspiratio. Pendet major minorve hujus colatorii ubertas a perspirationis conditione, a potuum copia & stimulo, ab ipsorum ciborum acredine, ab obicibus per animi pathemata injectis, & facilis est natura ad compensandum per hoc colatorium cutanearum excretionum defectum; sed & consuetudo hic jus suum exercet, & ad magis vel minus mingendum pro potuum conditione, quod nunquam probabile est, multum facere potest, ut & ad mingendi tempus plus minusve differendum. Hæc me ad urinæ incontinentiam ducunt, de qua aut hic aut nullibi locus est differere. Ea quidem si non organicam, quod quandoque contingit, ideoque immedicabilem causam agnoscit, cujus ipse memorabile exemplum vidi (b) vel inexcusabili negligentiæ adscribenda sit, laxitati organorum urinalium utplurimum tribuenda erit, & tum in eam aliqua diæteticæ cautelæ poterunt circa potus raritatem & ciborum selectum præsertim vespertina, circa attentionem ad mingendi tempus interdiu, quantum fieri potest, differendum &c. pauca medicus per interna tum, tum externa roborantia vel similia, plurima ætas potest, cum totius corporis compage & hæc ipsa organa corroboratura.

Uberiorem muci salivæque excretionem quod attinet, firmum tenendum inter utramque discrimen. Qui ob indecoram consuetudinem nimiæ salivæ exspuitioni assuescit, vel per fumi nico-

(b) Legendum id exstat in Dissertatione fasciculum observationum medicarum exhibente, quæ Præside Dn. Prof. D. CONSBRUCH. 1777. publice defensa fuit in Academia Militar. Vide Observ. I. §. 5.

nicotianæ usum, nimium facit ejus dispendium, nunquam id faciet sine incommodis, experientia teste, ad digestionem redundaturis. Qui vero mucosi est temperamenti, & fumi nicotianæ haustu utitur ad inveterati muci vim ex bronchiis exantlandam, dum pulmones saltem satis firmos habeat huic exercitio sustinendo, nescio quid inde detrimenti capturus sit. De utraque generatim consuetudine nicotianæ vel fumum hauriendi, vel pulverem naribus attrahendi, hæc æqua mihi dictare speculatio videtur: Consuetudines esse a sexcentis sine necessitate usurpatas, facilis concedo, & largissime confiteor, fumi nicotianæ haustum pro exsuccis, si nimiam simul salivam exspuere assuescant, pro pulmonum labe adfectis, qui hos nimis exercent, pro languore digestionis laborantibus, qui salivam suam alterant, noxiam fieri consuetudinem, æque illis interdicendam, (quantum consuetudo scilicet interdici potest) ac aliis indemnem per assuetudinem factam, iisque commendabilem, qui dum incommodum sentiunt bronchialem mucum, ad eum exonerandum hoc beneficio utuntur. Quid autem tanti incommodi faciat nicotianæ per nares attractio, ego, si medicam inexorabilis judex inquiro conscientiam, nullo modo video. Non hic humoris ad sanitatem necessarii dispendium fit, nulla in qualicunque corporis functione turbatio, nisi quidem olfactus acumen frangi velis, sed mucus, qui aptus fuisset molestis coryzis procreandis accumulatus in sinibus mucosis elicitur, nec ad pulmones tantus fit illius decubitus; quæ res in dispositis ad tabem non inardui momenti est, qui exinde naturalem quasi fonticulum nanciscuntur ad proliciendos ex corpore sine ulla violentia molestos humores; quæ quidem omnia, si neutri parti indulgens perpendo, habeo, cur laudes huic consuetudini in mucosis, in morbose dispositis decantem, quæ & probantur per incommoda iis oborta, qui suppressuri hanc consuetudinem lippitudinibus, aurium defluxionibus, perpetua mucositate, torpore & hebetudine mulctantur;

video quoque, cur æque ad munditiem corporis neceſſaria ſit diætetica regula, in hujusmodi hominibus veſpertino matutinoque ſaltem tempore, ſi non in totum aſſueſcere velint, tabaco nares explodendas, ac quidem os eluendum, dentesque depurandos eſſe. Sed in quam plurimis hoc remedio opus non erit, nec id negabo, poſſe in quibusdam, præſertim inſuetis, nicotianam cephalalgias momentaneas, & ſtuporis quid analogum producere, quæ autem mala conſuetudo & nicotianæ ſelectus facile ſuperabunt. Idioſyncraſiæ, præſertim hyſtericarum, eſſe poſſe a nicotiana abhorreſcentiam facile colligo, nec iis commendarem. Hæc de conſuetudinibus circa nicotianæ uſum ſufficiant. Alias conſuetudines ſalivam per maſticatoria proliciendi, cum in ſanis nulla ejus ſit neceſſitas, nullum beneficium, certum autem damnum ex diſpendio ſucci hujus ſaponacei, per ſe patet ſumme fugiendas, vel dentientibus ſaltem infantibus relinquendas eſſe, ad gingivas per id remedii emolliendas.

Fæcum vel nimia vel nimis cita excretio pendet a vitiis digeſtionis, cibis in legitimum chylum vertendis non ſatis idoneæ. Moderamen in alimentorum delectu & menſura, juſtum corporis exercitium, pathematum abſentia, quæ frequentiſſimas in hac excretione turbas pariunt, plura faciunt ad hanc in naturalem rythmum reducendam, quam medicamina. Sed & leviuſculum ſæpe per noctem refrigerium alvum citat, cujus incommodi vitandi non datur efficacius remedium, quam ſi de ſtudio levius te tegas, ut aſſuetus huic mali fonti non amplius inde lædaris; ſed nec ſcrupuloſius tempus exonerandæ alvo deſtinandum, ne, ridiculum dictu ſed verum, omiſſionis neceſſitas teneſmoden, quod ſæpe fit, diarrhoeam inducat; nec mala inde extimeſcenda digeſtionis conſtitutio, ſi ſæpius una vice id tributi per nycthemeri ſpatium naturæ ſolvendum ſit, cum id idioſyncraſiæ eſſe poſſit, non ſtatim præternaturale quid ſignificans. Generatim autem diarrhoëæ ab indigeſtione vel alia levi

de

de caufa ortæ non tam extimefcendæ, quam habituales, ob ftatum corporis hypochondriacum vel per corporis exercitium non adæquatum vel per animi ftatum heteroclitum contractum, fefe efferentes, quæ quidem cum corporis marcore & virium languore mirum quantum copulabuntur. Diarrhoëæ colliquativæ, alvi nefcio ægro folutiones &c. momenta funt potius femiotica.

Semen elaboratiffimum effe ex fanguine humorem, & partem ejus ad eundem remittendam, & omnibus humoribus legitime imbuendis effe deftinatam, ex principiis conftat phyfiologicis; perfpicua igitur funt ex nimio ejus difpendio oritura damna ineluctabilia. De feminis ad legitimum Veneris ufum confumtione, nec pulcriora credo, nec veriora dici poffunt, quam quæ concife CELSUS (c) expofuit. Hiftoriæ autem malorum, & nimium feminarum abufum & feminis per manuftuprationes extorfionem infecutorum tot proftant & tam horriferæ, ut exhaufta dicere poffis medica faltem argumenta ab hoc fcelere deterrentia. Qui exempla fcifcit dirarum pœnarum, quæ hujusmodi delicta fequuntur, terribilem neque tamen pro quorundam more exaggeratam hiftoriam inveniet in BRENDELII Differtatione de Tabe Dorfali. Pollutiones autem nocturnas ab hominis neque manuftupratione, neque lafciva phantafia auctas tam extimefcendas non effe, quam alias earum fpecies facile patet, cum naturæ fefe levantis a nimia feminis copia, quæ in caftis bene nutritis neque pro portione exercitis oriri poteft, fint molimina; nec eæ, quæ incommodum ad proliciendum hunc humorem facientem in lecto decubitum, vel nimium motum infequuntur, licet momentaneo mulctantes languore, tam perniciofæ funt, ac habituales. In prono cæterum ad fœdas hujusmodi deftillationes corpore multum remedii effe poterit in diurno corporis motu multo, fed non vehementi, in victu refrigerante & ex-



(c) De Medicina, Lib. I. Cap. I.

externis corroborantibus, præcipue autem in mentis ab hujusmodi cogitationibus vespertina potissimum abstinentia.

Menstruorum & copia & præcox eruptio, multum a diæta ad plethoram disponente, tum universalem, tum uteri partialem, & a climate pendent. In luxuriosis & lascivis feminis eodem mense utcunque impune bis repeti ZIMMERMANN perhibet (d). Varia autem etiam symptomata nervosa nimium fluxum menstruum insequentia notantur; quæ vero, an soli huic sanguinis dispendio, an vero potius altiori causæ, hanc ipsam excretionem turbanti, adscribenda sit, æqui videant æstimatores. Nimis autem excessivum, nimis diu protractum mensium fluxum ea omnia incommoda insequi posse, quæ qualecunque sanguinis dispendium, nemo mirabitur; sed cum tum jam, ut & in eo casu, ubi ob vitiatam sanguinis crasin nimius fluxus est, sed privus naturali consistentia, verus jam morbus adsit, therapeuticum auxilium requirens; ad nostrum non amplius forum pertinet. Minus detrimenti nimius mensium fluxus afferre observatur, qui tempus proxime antecedit, ubi plane cessaturus est, nisi plane omnem modum excesserit.

Lochiorum fluxus nimius non alia facile de causa, quam post partium in partu læsionem vel humorum ab interna causa qualicunque corruptionem orietur, ad nostrum igitur forum proprie non pertinet.

Lactis nimis copiose secernendi, tum & excernendi non aliam mihi causam fingere possum, quam si viribus & succis non ita abundans femina infantem lactet pluri pro virium matris ratione appetitu vigentem, & plus ideo ab illa alimenti exigentem, quam quidem commode parari potest, quæ quidem insatiabi-

(d) Von der Erfarung 4. Buch, 10. Kap.

tiabilitas ſequelas in matrem exſeret atrophiæ analogas, niſi appetitui parvuli alio modo conſulatur.

Non erit facile nimius fluxus metaſtaſium ad cutem effluentium, niſi vel ob Chirurgi delicta, nimis irritantis vel ſimili modo peccantis vel ob ægri incuriam, quo quidem caſu ulceris cutanei fluxus immodicus, easdem quas phthiſis ſequelas habebit. Quum autem contra chirurgaſtrorum ignorantiam hominumque negligentiam non dentur præcepta diætetica, pauca erunt, quæ de his defluxionibus huc trahi poterunt. Si ejusmodi fluxus a victu oriatur generatim nimis alibili, vel omnium jam humorum ad certum locum derivatio fiat, per ſe patet immutandi victus neceſſitas, & ſtimulum aliorſum revellentem prudenter quandoque medicus addet.

§. 22.

*De nimis parcis excretionibus.*

Nimis parca perſpiratio impeditum humorum per vaſcula minima cutanea tranſitum indicat; nimis diu igitur præcluſus hic excretionum fons de coctionum minus firma incolumitate ſuſpicionem movet. Sed per totam ſæpe vitam idioſyncratica quædam hujus colatorii occluſio obtinere poteſt ob peculiarem cutis conſtitutionem, ut ejusmodi homines vel poſt validiſſima exercitia ſudoribus non facile pateant, nullius in his quidem detrimenti, cum natura urinæ fluxum intendat eo liberaliorem. De retrogreſſione autem tranſpirationis vel ſudorum innumeræ querelæ aniles, ſeſquipedales morborum inde oriundorum vulgo catalogi habentur, de quibus omnibus ita ſtatuere æquum mihi videtur. Si leviuſcula de cauſa ſudor retrocedat, leves mendas habebit, per urinæ copioſorem fluxum vel diarrhoëam aquoſam facile a natura ſuperabiles; ſi vero a graviori cauſa, animi hete-

 rocli-

roclito ſtatu, corporis neglecto exercitio &c. turbetur hæc excretio: turbæ, quas hæ cauſæ & in nobilioribus ſecretionibus & excretionibus pariunt, magis extimeſcendæ, quam quidem eorum humorum in corpore retentiones. Sed gravius mulctant ſudores partiales retropulſi, quam ſi æqualiter per totum corpus perſpiratio impediatur, & ſi natura præſertim prona ſit ad exonerandam ſe per partiales ſudores v. c. pedum; horum retrogreſſio cum gravibus detrimentis conjuncta eſſe poterit, non quod tantillum humoris retropulſum ſit, ſed quod turbatus ſit naturæ trames in expurgandis corporis quisquiliis. Id cæterum per ſe patet, & huic excretioni promovendæ per juſtum, neque tamen nimis rigoroſum regimen, per corporis exercitia, munditiem, balnea inde &c. eſſe ſtudendum.

Urinæ parciorem copiam a cutis colatorio magis patulo, a climate, a victus & motus conditione pendere conſtat, ideoque his in caſibus innocuam eſſe. Conſuetudini autem & jura in differendum mingendi tempus, & in ipſam mingendi parſimoniam eſſe ſupra dixi; quæ autem ſi tyrannice exerceat, quam noxia eſſe poſſint, facile ex naturæ fine, quem per urinæ colatorium intendit, & ex conſtitutivarum urinæ partium conſideratione elucefcit, unde nec vero abſimile, nec exaggeratum videri poterit HALLERI (e) effatum; huc loco omnium ſufficiens. " *Retenta*, inquit, *urina ad calculi generationem & podagram* " *diſponit, ſuppreſſa febres facit acres, in cerebrum refluit denique,* " *idque inundat.*" In feminis cæterum parientibus immodica quandoque fit urinæ accumulatio, ad quam autem recipiendam cum ſenſim ſe veſica accommodet, & generatim feminea veſica majorem urinæ copiam capiat, non tanta fere damna parit.

Cum auctæ nimiæ muci copiæ id præcipuum incommodum ſit, ut non in exterioribus ſaltem partibus, faucibus, naribus,

(e) Prim. Lin. Phyſiol. Cap. XXVI. §. 796.

bus, ſed in interioribus etiam moleſtus ſit decubitus, *uti* enim *fauces valent*, *ita*, teſte HIPPOCRATE, *reliquum corpus*, patet, eo moleſtiorem eſſe debere decubitum muci ad interiora, quo magis impeditus ſit ejus ad exteriora effluxus. Huic ergo per ſubſidia §o ſuperiori adducta ſubveniendum, quibus etiam leviora mala, cephalalgiæ, hebetudines &c. quæ ex muci retentione oriri poterunt, ſuperabuntur. Saliva non facile cum damno retinebitur, cum extra edendi tempus nulla, in hoc autem mechanica ſit ejus proliciendæ neceſſitas, niſi morboſos ſtatus, & eum forſan caſum excipias, ubi in metuenda contagii infectione noxiam volunt ſalivæ deglutitionem.

Fæcum retentio vel nimis dura conſiſtentia a ciborum ſiniſtro ſelectu, potus inopia, motus defectu, triſtitia &c. generatim autem utplurimum ab omnibus pendet, quæ impedimento ſunt, quo minus bilis efficax in inteſtina effluat, ceu potentiſſimus ad motum periſtalticum ſolicitandum ſtimulus. Damna inde eximia eſſe, quis non videt? cum immediate vitiata ſit prima coctio, omnes reliquas vitiatura. Diutius autem protractam alvi conſtipationem, quæ non comitantur ſubito ſymptomata, ob ſtimulum ſcybalorum vel mechanicum, vaſa abdominalia prementem, &, dum fluxum ſanguinis per abdomen liberiorem intercipit, & ſanguinis a capite reditum morantem, unde cephalalgiæ, ophthalmiæ &c. ſtipare hoc incommodum poterunt; quæ non inſequuntur damna permanentia ex abdomine ad infarctus diſpoſito & hæmorrhoïdas, ob cauſam, & hanc álvi conſtipationem producentem, communem. Sed & hic quandoque inveterata idioſyncraſia exceptionem facit. Medela huic malo adhibenda ad ſe attento facile patet, cognita nempe productrice cauſa; ſæpe autem malum inveteratum medicum requirit auxilium, diuturnæ ſæpe moræ eſt, quin inſanabile.

A ſeminis retentione mala utique rariſſima. Cum enim reſidua ſeminis pars ad ſanguinem revehatur cum magno ſecretionum emolumento, & cum ipſa ſibi natura per caſtas pollutiones ſubveniat, ſi forte nimia copia accumuletur: pauciſſimi certe caſus erunt, ut eo ex fonte evidentia mala ſint metuenda; non tamen nullos eſſe volunt, qui ex nimia caſtitate in corporibus bene nutritis nec pro portione exercitis notabilia incommoda ad inſaniam usque obſervata perhibent. Quæ in his, ſi qua exiſtunt, caſibus & diætetice & moraliter optima medela ſit, per ſe patet.

Scitur & climati eſſe adſcribendum parcum menſium fluxum, cum in frigidioribus climatibus parciores, in frigidiſſimis nulli ſint, & in obeſis, cæteris paribus, parciorem fluxum eſſe, quia minus plethoricæ ſint, & plus ſuccorum in ſolidis partibus conſumatur, quam in fluidis, ſecundum illud CELSI (f): *tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat* ſine alio, quam quod generatim obeſitatem inſequi poteſt, damno; ſed & alias cauſas ſequitur menſium parſimonia & retentio. Bene quidem adhuc vel de iis agitur, quæ ob nimium vaſorum uterinorum tonum ad retentionem vel parcam defluxionem diſpoſitæ ſunt, licet enim omnia experiri poſſint mala a plethora oriunda, faciliorem tamen admittunt medelam, per topicam inprimis partium laxationem. Nec multo pejus, quæ ob nimiam ſtructuræ laxitatem minus emittendo huic ſanguini idoneæ ſunt (modo non habitualis hæc laxitas & altioribus cauſis nervoſis adſcribenda ſit) nam roborantis regiminis præſertim externi hic miri ſunt effectus, & exempla dantur prolectorum in balneo frigido menſtruorum. Sed graviſſimæ parcorum menſtruorum cauſæ animi pathemata ſunt, inde

(f) Lib. II. Cap. 10.

inde tot mala, quæ insecuta leguntur horum retentionem, corporis ignavia, mentis morositas cum aliis primarum viarum nervosisque symptomatibus, quorum aliqua quidem, ut immediati retenti nimii in corpore sanguinis effectus considerari possunt, alia a nervorum impatientia ad stimulum, quem humor efficit retrocedens, qui extra corpus pellendus, & quod memorabile est, ratione sensilitatis nervorum periodice pellendus fuisset, explicanda sunt; sed maxima, credo, pars in effectibus ponenda, quos altiores hæ causæ in omnem generatim secretionum œconomiam exserunt. Naturalem sæpe mensium defectum viis extraordinariis natura supplet, & salutari quidem consilio, si satis faciliter, satis copiose, nec per incommoda loca, ut in hæmoptysi, onere se suo levet, dum ars ipsi subveniat, modo subveniendum sit.

Parcum lochiorum fluxum multæ feminæ, quibus solenne est, menstrua parca alere, indemniorem patiuntur. In aliis autem, sive nimius languor, sive spasmus in causa retentionis sit, & qualiscunque hujus spasmi causa, varia, quæ insequuntur, mala observantur, purpuræ inter alia & alii putridæ prosapiæ morbi. Graviora etiam nervosa & permanentia damna eam lochiorum retrogressionem sequuntur, quæ subitanea est, sive per animi pathemata, sive per alia diætetica delicta producatur, quæ autem omnia medicum potius poscunt auxilium, per diæteticum saltem sustentandum.

Multa & notabilia a lacte retento mala, ſcirrhoſis glandularum mammalium tumoribus, quin ipſis ſucceſſu temporis cancris originem datura, ne dicam de ſubitaneis incommodis, quæ a nervorum impatientia exſurgunt per retropulſum humorem jam ſecretum ſtimulatorum, eas, quæ ad naturæ vocem ſurdæ ſunt, doceant, quam arduum ſit momentum proprii corporis fetum propriis potius quam alienis mammis admovere. Retrocedens aliis leviuſculis de cauſis lac leviorem etiam ſæpe medelam admittit, ſæpe ipſa ſibi natura ſuccurrit, per aliam purgationis viam; & pro lactis fetus alendos ſuperſtitis copia auferenda varia dantur ſuccedanea auxilia puerperis nunquam levipendenda.


Aliud magni in diæteticis momenti objectum metaſtaſes qualescunque ad cutem effluentes ſunt, quorum quidem fluxus, dum jugiter viget, incolumis eſſe homo poteſt, vegetæ omnes animalis vitæ functiones. Simulac vero quis medicinam afferre velit, ſpaſticæ in corpore turbæ exiſtent, & per fati bonitatem utplurimum militans pro hominis ſalute natura inſanæ ejusmodi curæ reluctabitur, ſi vero audaci cuidam agyrtæ infeliciter contigerit, ejusmodi furca naturam expellere, ut redire non poſſit, factum eſt de hominis incolumitate, & multis ſæpe medicantium ambagibus opus, ut eo rurſus proliciantur humores, unde turbati ſunt, niſi quidem mors, ſpaſticos, ejusmodi curam ſtipantes, prodromos, preſſo pede inſequens auxilii nimis heroïci ſucceſſum coronet. Spaſtica præſertim hæc ſymptomata,

ta,

ta, ad fecretiones funefto modo redundantia, non eam ob caufam oriuntur, quia id, quod modo excernendum erat, jam retrocefferit, fed quia naturæ trames in exantlanda corporis fentina, ad quam fe antiquatæ quafi confuetudinis jure accommodavit, turbatur. Hinc caute vel fonticulus fanandus ad accelerandam faltem ulceris cutanei fanationem inflictus.


Similis de hæmorrhoïdum fluxu fententia. Quamquam enim omni ftudio femper cavendum fit, ne huic fluxui per vitæ regimen partiali abdominis plethoræ procreandæ vel ftimulo his venis incutiendo aptam, vitam fedentariam, potus calefacientes &c. anfam præbeas, & quamquam exoletum fere fit ex hodierna medicina Stahlianum illud hæmorrhoidum emulgendarum ftudium; æque tamen cavendum eft, fi natura in devium hunc tramitem delapfa fuerit, ne temere illi vimi ncutias, & ubi motus ad hæmorrhoïdes adfunt, non facile per qualiacunque derivantia, alio, quam natura intendit modo levamen conciliabis; & fexcentas in corpore fpafticorum fymptomatum fcenas ludunt retropulfæ, vel, fi urgeant, non fatis adjutæ, hæmorrhoïdes.





# CAP. VII.

## DE LÆSIONIBUS CORPORIS MECHANICIS.



### §. 23.

*In educatione infantum phyſica, amictus conſuetudinibus, & variis artificiorum & opificiorum generibus.*

Plurimos dari morbos, quorum origo nec ab abuſu rerum non naturalium nec a contagiis repetenda ſit, ſufficiens docet experientia. Omnes proprie chirurgicæ læſiones huc pertinent, quas vero huc trahere nimium ſane eſſet, ſed ictus quis a bruti cornu & notabilia inde ſanitatis incommoda perſentiens, quin ipſæ partium internarum læſiones, dislocationes, viſcus verberibus vel lapſu læſum, exempla præbent internorum morborum, a mechanica cauſa ortorum, huc proprie facientia, quorum vero ſeges cum innumera ſit, indigitanda potius claſſis, quam exponenda videtur.

Illu-

Illuſtria quoque læſi corporis ab injuriis ejusmodi externis exempla educatio infantum phyſica præbet. Quid non in tenello fetus corpore, per ipſos Obſtetricantium errores, dum eniteretur damni oriri poteſt, organicis vitiis & innumeræ inde morborum ſegeti anſam præbituri, quid in nato per præternaturalem membrorum diſtorſionem, cum ipſa adhuc tam flexibilia oſſa ſint, & molliorum partium conformatio ad eam oſſium ſe accommodet.

Alius læſionum mechanicarum campus patet in variis amictus conſuetudinibus. Generatim autem nocet omnis amictus, circulo ſanguinis liberius obeundo obicem opponens, inde ligaturarum nimiarum, nimiæ veſtium anguſtiæ noxæ; nocent præcipue, quæ in extremitatibus inferioribus circulum moleſtiorem reddunt in corporibus potiſſimum ad hecticam diſpoſitis, nocent in plethoricis, quæ ſanguinis a capite reditum morantur, quæ omnia nimis diu protracta non ſine damno erunt in ſanitatem redundaturo; evidentiſſimum autem noxiæ amictus conſuetudinis exemplum præbent thoraces ſexus elegantioris, qui atrabilariis, hyſtericis &c. affectibus opportunas illas reddere poſſunt, quæ neceſſarium ſibi ducunt hoc pulcritudinis decoramentum, licet & hic conſuetudo indemnia multa facere poſſit, & faciat ſæpiſſime. De iis amictus incommodis, quæ ratione externi aëris moderaminis ſe exſerunt, ut de iis, quæ amictus errorem in ſingulari parte ſequuntur, ut auricularum immobilitate,

litate, nimiam earum in tenera ætate ligaturam insequente, de pedum clavis, calceorum nimis angustorum sequelis, hic jam sermo non est.

Et in variis artificum opificumque generibus habes læsi mechanice corporis exempla. Sic minutissimus pollen lapidum, mechanicas in lapicidarum pulmonibus molestias facere potest, sic pistoribus & quibuscunque qui circa panificium occupati sunt, detritus ille a farina & frumento pulvis subtilissimus in sua atmosphæra obvolitans &c. Sic mechanicorum morborum genus sunt cutanei illis oborti, qui lanea tractant, vel lotricibus quæ lixiviosa &c. sic quodammodo mechanicis accenseri poterunt ii morbi, qui a præternaturalibus, quos variæ vitæ genera exigunt, sitibus vel excessivis exercitiis cuidam parti propriis oriuntur. De his autem omnibus sufficiat, aliquos saltem carpsisse exemplorum flosculos. (g)

Sed & esset, quod in Diæteticis de iis morborum generibus ageretur, quibus artifices & opifices opportuni sunt, qui

---


(g) Fusissima horum omnium, quantum mihi quidem innotescit tractatio, quam interdixit mihi præsentis instituti ratio extat in *Diatriba de Morbis Artificum* invenienda in BERNARDINI RAMAZZINI *Operibus omnibus*. Tom. II.

qui funestis corpori exhalationibus se exponunt, ut in metallicorum aliorumque fossilium vel chemicorum corporum tractatione occupati, vel quæ repetenda sunt ab ignis violentia, variorumque vaporum in corpus influxu, ut in vitriariis, fabris ferrariis, foricariis &c. Sed cum horum actio in corpus physica sit, non mechanica, huc saltem non trahenda.



## Cap. VIII.

## DE CONTAGIIS.



### §. 24.

*Quare & quid de Contagiis in Diæteticis dicendum.*

Cum omnium eorum, circa quæ delicta morbos pariunt vel inevitabiles in pejus vertunt, justum regimen præcipere Diætetico incumbat: & contagia locum habere inter diætetica momenta facile patet, cum plurima morborum pars suam inde ducat originem. Speculationes autem de diversis contagiorum gene-

generibus, de differentiis eorum ſpecificis, & de variis febrium, quæ ſe illis jungere conſueverunt, ſpeciebus, & quæ ſimiles ſunt, huc pertinere non cenſeo; & ſolum me reſtringam ad modum ſe defendendi contra contagia, i. e. prophylaxin; vel amiciora ſibi inevitabilia reddendi, i. e. Inoculationes.

In vere contagioſis, ſed non epidemiis morbis duplex datur inficiendi modus, vel per immediatum corporum contactum, vel per fomitem. Prior infectio tam palpabilis eſt, ut non multa prophylaxi opus ſit, facile quisquis ad ſe attentior ſibi præcavebit. Sic qui qualemcunque vitat lecti ſocietatem cum venerea labe infectis, vel alia immediati contactus genera, facile ſibi ab ipſius luis infectione cavebit, pro operiendis enim verecundorum delictis factæ ſunt excuſatiunculæ a communicato per cloacæ uſum veneno. Sed plures dantur ac vulgo perhibent morbi eo modo contagioſi, & ii præſertim huc pertinent, qui conjuncti ſunt cum qualicunque effluxu; " *Fluores albos, teneſmos, hæmorrhoïdes, eodem lecto uſos affeciſſe & veroſimile eſſe, corpus ſanum, ſed opportunum, quod eodem lecto decubuerit, in quo vel ſola tertiana intermittente laborans exſudet, in ejusdem morbi periculo eſſe*" expertiſſimi in arte Magiſtri, viri omni mea laude ſuperioris, immortalis BRENDELII effatum eſt; (h) ut igitur hic multo crebriori ac vulgo adhibetur cautela opus ſit, ſed facile adhibenda.

Alia

(h) Colleg. MSſtum in Pathologiam Generalem Cap. de Contagiis.

Alia contagia non per immediatum ſolum contactum inficerè poſſunt, ſed per intermedia quoque corpora & recipiendis & ulterius propagandis miaſmatibus idonea; quorum evidentiſſimum exemplum peſtis præbet. Sed exulent hîc inanes de infectionis per aërem aveſque propagatione fabellæ, cum nunquam aër liberior aptus ſit transferendo miasmati, & toties diſſipabile per ventos ſit miasma, nec ullum detur certum propagatæ per aërem peſtis exemplum; quod idem de avibus valet, quæ tamen ſi pares eſſent contagio transferendo, multo crebriores ejusmodi infectiones eſſe deberent, quod divinæ ſane ſapientiæ contradiceret. Unicum igitur ſed explicandis omnibus infectionis modis ſufficiens medium, res merceſque infectæ erunt, contra quod ſola dantur, ſed ea efficaciſſima ad peſtem coërcendam remedia politica.

Dixi, ſed unanimi idoneorum obſervatorum conſenſu nixus dixi, ineptum eſſe liberum aërem peſtis contagio, ideoque nec minus efficacibus transferendis; ſed aërem loco cuidam endemium, ſi multis fetus ſit cadaverum peſte extinctorum, decumbentiumque vivorum exhalationibus demum & ipſum inficiendi poteſtatem inducere quidam voluerunt. In conclavibus clauſis id negandum non eſt, ſed ego quidem non reprehenderem, ſi quis dubitaverit, an idem contingat in libero aëre, quantumvis anguſtum limitem ponas & quotquot velis exhalationes infeſtantes, cum innumeri dentur alii in-

fectionum modi; licet forſan in hoc caſu acceptanda ſint aëris per violentas alterationes depurandi conſilia, ſed ſolicite expiſcanda.

Verum nec producendis contagiis aërem aptum volunt obſervatores, licet morbos producere poſſit, adjutus ſiniſtro regimine victus, epidemicos, ſucceſſu temporis & ipſos contagioſos factos. Sic dyſenteriæ obſervatæ ſunt primo epidemicæ, tum contagioſæ. Sed cum lateant aëris qualitates, quæ ad producendos ejusmodi morbos faciunt, latere etiam debet ejusdem depurandi methodus.

Cum vero ſufficiens doceat experientia, alia corpora magis, alia minus idonea eſſe certo cuidam contagio recipiendo, alia ab eo recepto gravius, alia levius laborare; non inardua ſane pro quovis individuo corpore eſt diſquiſitio, an diſpoſitum ſit, nec ne? an diſpoſitio tollenda? & hæc plurima eſt prophylaxeos pars, de qua autem generatim non ſtatuendum, ſed in individui contagii, individuique corporis indole ratio petenda. Id autem univerſim præcipi poteſt, nunquam eſſe debere nimis ſcrupuloſam prophylaxin & excretionum omnes vias liberas tenendas & in primis ab animi pathematibus & intemperantia cavendum, noxios huc effectus habituris.

Cum

Cum autem & præcipuum ſit contagiorum diſcrimen, quod alia omnes homines inficiant, vix centeſimo excepto, qui autem eo decubuerunt per totam reliquam vitam, excepto forte ter centeſimo immunes relinquant, cum hujusmodi contagium, quod unicum fere varioloſum eſt, eo tempore invadere poſſit, quo noxia in corpore diſpoſitio adeſt, ideoque graviora quam alio tempore, quo illa abeſt, detrimenta habere; remedium inventum eſt, quod medici poteſtati relinquit, corpus hoc morbo imbuendi, quando aptiſſimum autumat. Qualiacunque fuerint inveniendæ variolarum inſitionis, hæc retinendæ & extollendæ argumenta ſunt. Aetas, anni tempus, maxime commoda, miaſma optimæ notæ, eligi poſſunt, poteſt præparari corpus & humoribus moleſtiorem morbum facturis depurgari, miaſma non ſtatim ut in ordinario infectionis modo nervos primarum viarum & pulmonum ferit, licet enim & hic, ut probabile eſt, infectio per bilem fiat, quod & ſymptomata probant eruptionem in inſitis utplurimum tardiorem antegreſſa, non poteſt tamen non magis amicum miaſma & magis animali quaſi natura imbutum ad bilem devenire: ſed experientia, quæ multo levius decumbere inoculatos & ex trecentis vix unum, & fortuita ſaltim de cauſa occumbere, vix quemquam confluentibus laborare, quæ ſecundam febrem in ordinariis graviſſimam vel nullam, vel rariſſimis caſibus mitiſſimam accedere docet, primarium pro inſitione variola-


rum militans argumentum, præcipue eſt ratio, cur Diætetici ſit, hoc morbi effugiendi præſidium, licet & noſtro tempore huic paſſim ſtultitiæ, illi ſcandalo eſſe dolendum ſit, eadem cum energia præcipere, ac juſtam in alendo corpore temperantiam vel in exercendo perſeverantiam.

De corporibus eligendis, ne bona cauſa ſuſpecta reddatur, videant Inoculatores; diætetice non temere vel valetudinarium corpus excludi poteſt, urgente epidemia variolosa, cum experientia docuerit, vel minus ſolicite electa corpora levius ex inſitis emerſiſſe, quam probabile fuiſſet, ſi incidiſſent in naturales. De præparandis generaliter tenendum, non quidem nullam, ut recentioribus quibusdam viſum fuit, præparationem eſſe debere, cum latere ſæpe in corpore, præſertim infantili ſaburra, vel vermes poſſint; & cibis digeſtu difficilibus vinoque abſtinendum nec viciſſim nimis exquiſitum victum præcipiendum, ut virium ſatis ſub curatione ſuperſit, nec contagii actio reprimatur, vel ſufflaminetur, unde alia poſtea mala.

Cum magna ſæpe cum ſtrage ſæviant morbilli, cum præcipuum & ex periculoſiſſimis ſymptomatibus morbillorum naturaliter invadentium ſit tuſſis vehementiſſima, non alia veroſimiliter de cauſa orta, quam ob nervorum pulmonalium ad morbilloſi miaſmatis immediatum contactum impatien-

tiam;

tiam: laudanda eſt HOME (i) ſagacitas; qui inſerendos eos tentavit, laudanda ejus ſolertia, qua obvia ſibi impedimenta vicit, & felix ſucceſſus, quo coronati fuerunt ex ejus relatione inſerendorum morbillorum conatus, cum in pathognomonicis morbi ſymptomatibus iidem in accidentalibus vero, quæ moleſtiſſima ſæpe & periculoſiſſima ſunt in naturalibus, mitiores fuerint inſititii morbilli, ſatis pro maſcula Viri audacia militavit. Cum vero ipſo HOME teſte, pluries hominem morbilli invadere poſſint, cum non tam univerſalis ſit, ut in variolis, propagatio, nec tam univerſaliter præcipiendam cenſeo eorum inſitionem, & ad ſolas forſan graſſantes epidemias reſtringendam, quod & eo reſpectu neceſſarium erit, cum ad tam breve tempus morbilloſum miaſma aſſervari poſſit. De peſtis & aliis inſitionum generibus, quæ cogitata ſunt, inſanientium inſomniis quam medicorum conſiliis ſimiliora videntur. De ſcabiei inſitione hic non ſermo.



Multa ſunt forſan, quæ nimis ſteriliter, nimis ſtricte abſoluta Lector deprehendet, plura quæ ad diæteticum forum



(i) Medizinische Beobachtungen und Versuche. III. Th. 4. Abschn.

rum pertinent, hic omiſſa, a quorum autem fuſiore tractatione aliena erat & inſtituti, &, quid diffitear? virium ratio. Sic v. c. qui fuſiorem & in ſpecialioribus verſantem diætеticen ſcripturus eſſet, haberet, quod de ſingularum partium, oculorum, dentium, capillorum &c. conſervatione ageret, quæ vero nimis ſpecialia eſſe pro inſtituti hujus ratione, quis eſt, qui non videat? Plura alii, hæc ego.

# FINIS.



